

VINDICIÆ S. ROM. IMPERII

ET

VICINÆ EUROPÆ,

ADVERSUS

REGUM GALLIÆ CAPETINORUM ORIGINES,

NOMINE

GASTONIS JOANNIS
DUCIS ESPERNONII,

A

LUDOVICO ROGERIO
DE PRADES

NUPER
IN LUCEM EDITAS.




ANNO 1686.



THESIS PRADIANA, VINDICIARUM OBJECTUM. GENEAL. CAPETINÆ *PART. II.* *SUB* HUGONE CAPETO.

JE ſoutiens, que les Roys predeceſſeurs de noſtre Roy Louys le grand, ont eſté conſervés de maſle en maſle, jusques aujourdhuy dans les meſmes eſtats, que les François ont ſubjugué, dans le cinquieſme ſiècle de la reparation de noſtre ſalut, & que les heritiers imaginaires de l'Empereur Charlemagne doivent rendre hommage, au legitime ſucceſſeur de l'Empire François, comme à leur ſouverain.



Ad Lectorem.

PAucis te volo, Lector Amice. Vindiciarũ quas vides, cauſa hæc eſt, quòd Ludovicus Rogerius Pradius, noviſſimus Galliæ Hiſtoriographus, non contentus, fallaci domûs Capetinæ ſtemmatologiâ, ſub nomine Gaſtonis Joannis Eſpernonii Ducis, civibus ſuis os ſubleviſſe, Regemque putidis aſſentationibus & viro ingenuo indignis palpâſſe, ut oſtenderet ingenium etiam animosque exteris ludificandis ac laceſſendis feroculo ſupereſſe, auſus ſit, quàm confidentiſſimè ſtatuere, *Regum ſuorum hodieq; eſſe, quidquid ſeculo æra Chriſtianæ quinto*

Francorum armis succubuerit. Cuditur hæc faba, tum palàm atque apertè in Germaniam Cisrhenanam omnem, ut ne vel Belgæ Fœderati vel Helvetii dictum sibi non putent: tum per solitas Gallorum argutationes, unà cum cœtero Imperio nostro in circumjectos laté per Europam vicinos. Nec pseudopyra jactari, ipsa his proximis lustris sub aliis coloribus feralis docuit experientia. Dum igitur inducias nacti, tempestatem seriùs ocyus redituram, verbis in vicennium conjuratam credere nuper jussi sumus, & arma nostra Orienti compescendo obversa sunt: nil esse putem quod vetet, jura interim partium ventilare, futuræq; cum Galliâ paci (an bello?) præludere. At verò, cùm quæ Pradius Regi suo ad-

meti-

metitur in exteros jura, vel familiæ & ſanguinis titulo, vel regni cui præeſt, privilegio venire neceſſe ſit: ut quæ adversùm nos torquere ſatagit tela, extorqueamus: res ipſa oſtendi poſtulat, & Capetinam propaginem Merovingiæ ſtirpi falsò inſertam, & apud Gallos alia potiùs omnia, quàm regnum vetus Francorum ſupereſſe. Utrumque hoc libro agere conſtitui. Præmitto autem, quæ ſcriptioni claritatem allatura videbantur, cœpti occaſionem, cauſæq; ſtatum, opinionum etiam, quæ Capetinorum origines diſtraxere, elenchum, tùm genearcharum, quales Pradius ſubſtituit, Summarium hiſtoricum. Inde nonnulla circa primævam Francorum remp. præcognoſcenda ſubjunxi, in quibus ſi diffuſior fui, quàm pro

compendio cœteri operis congruum videri queat: dandum id fuit nobilissimi populi originibus, inter tot etiam scriptores, qui illustrandas sumpserant, ne nunc quidem satis pro exigentiâ, nedum pro dignitate excussis. Adhæc vero etiam scriptori lucem atq; ordinem non fugienti nihil, supervacaneum ducendum erat, quod lectorem etiam in modico levare idoneum; ac si qua alia, certè genealogica tractatio distinctionem claritatemq; requirebat. Ista quidem capitibus quinque prioribus absolvuntur. Dehinc verò opus ipsum genealogicum distenditur, cujus capitibus novem proximis genealogiam Pradianam evertimus. Tria inde postrema prætensiones Gallicas examinant, & modernum Gal-


liæ

liæ regnum, à regno Francorum vetere ac genuino alienum omninò, quippe ſeculo demum nono exortum demonſtrant. Hæc, mi Lector, ſcripti hujus ratio & œconomia eſt; juxta quam & hoc te ignorare nolim, non aliud genealogiæ Capetinæ à Pradio editæ exemplar pro hâc ſcriptione mihi ſub manibus fuiſſe, quam quale annis abhinc quinque Sebaſtianus Cramoiſius dedit. Quæ enim priorem iſtam editionem, Pradio alibi indice, triennio ſubſecuta eſt altera, eam quidquid niterer, videre hactenus non licuit. Credo, quòd vel in patriâ ſuſceptores non inveniret infelix partus, naſcendo denatum eſſe, aut luci ſponte renuntiâſſe. Commodum verò, quæ ibi prioribus addita con-

tineri accepimus, Pradius corpori ſuo hiſtorico per compendium inſeruit; quod ſatis fuit, ut ne ſic quidem fatum ſuum hîc effugeret.



SYLLA-



SYLLABUS CAPITUM.

pini filius non fuit, aut spurius fuit.

XI. *Non liquet Nebelongum II. filium fuisse Eccardi.*


XII. *Non liquet Nebelongum II. patrem fuisse Roberti Fortis.*

XIII. *An ab identitate magistratuum gestorum, nec non possessionum privatarum, similitudine nominum tùm propriorum, tùm patriorum, ad identitatem familiæ, à Pradio recta fiat illatio.*

XIV. *Quod reliquum est Pradianæ causationis, refellitur.*

XV. *De*





I.

Causa & occasio Vindiciarum.

DEcimus nunc mensis vertitur, ex quo in historiam Galliæ, autore Ludovico Rogerio Pradio, non ita pridem vulgatam incidi; in quâ cùm origines Pipini Brevis Francorum, & Hugonis Capeti Galliæ occidentalis Regum evolverem, Munderici cujusdam Franci mentio se intulit, Gregorii Turonensis curâ, non alio nomine ad posteros deducti, quàm quòd in Theodericum I. Austrasiæ Regem, Chlodovæi filium perduellionis reus malè periisset. Quò magè miratus sum, quòd autor circa regum suorum gloriam in hâc genealogiâ etiam cum aliorum injuriâ tàm operosus, eundem Mundericum perduellem, ex

ex ſententiâ quidem Gaſtonis Joannis Eſpernonii ducis inter Capetinæ feliciter hodie in Galliâ Occidentali regnantis familiæ genearchas, in filium quoq; Chloderici notisſimi parricidæ, nepotem verò Sigeberti Francorum ſuperiorum Transrhenenſium & Colonienſium ſeu Ripuariorum Regis, Merovæi deniq; pronepotem nullâ neceſſitate, ſed nec ullis idoneis vel tabulis vel teſtibus erigere ſuſtinuiſſet. Cupidus itaque rei tàm novæ pernoſcendæ, Ducis, quam laudabat genealogiam regiam, fruſtra diu apud noſtrates inquiſitam, è Galliâ tandem amicorum operâ nactus ſum, qualem nobis annus hujus ſeculi octuageſimus typis Cramoiſianis dedit, unde vix quintus decimus hodie dies eſt, quòd ad me perlata ſit. Deprehendi verò eam curâ itidem Pradii non modò in lucem datam, ſed & argumento operis, & brevi variarum circa origines Capetinas ſententiarum recenſione, procemii loco illuſtratam. Cùm & iſta & opus ipſum avidè perluſtrarem: reperi ſeriem genealogicæ deductionis, haud illam quidem inconcinnè edolatam,

ſed

sed impar cœteræ industriæ veri studium, & ex adverso assentationum copiosam penum. Quæ verò inprimis animum admiratione defixum tenuit, pagina fuit partis secundæ nona & sexagesima supra centesimam, quam oppidò consultum Pradio fuisset, pro prælo spongiæ subjicere. Illic enim in hæc verba proruit: (a) *Probro foret tertiæ Regum nostrorum familiæ, autorem generis laudare* (Carolum M.) *regni alieni usurpatorem, avo etiam paterno* (Carolo Martello) *spurio editum. Rex noster Ludovicus Magnus, magno Meroväo suas debet origines, traduce Childebrando Burgundiæ Duce, Pipini* (Crassi, seu Heristallii & Audacis) *Ducis filio legitimo. In me recipio demonstrandum, quòd regibus ejus decessoribus per mares de generatione in generationem sarta tecta manserint ea omnia, quæ seculo reparatæ salutis quinto, Francorum armis subacta; quodq; imaginarii illi Carolini hæredes* (Austriacos Principes intelligit) *legitimo imperii Francorum* (Gallorum putà regni) *possessori, ceu Principi suo autocratori homagium præstare teneantur.*

Quæ

Quæ dicta, cùm ritè æstimanti, nonnisi multiplices & concatenatæ insaniæ injuriæq; videri jure queant, eòq; scuticam mereantur: opus est, ut heic loci conceptis solenniter verbis profitear, cum Illustrissimo Espernonii Duce nihil mihi quidquam contentiosi intercedere. Pradium compello, quem unùm tam insulsi sermonis fabrum, non modò quòd approbando, edendo, illustrando, dedicandoque suum fecerit, sed etiam, quòd inurbanitas ipsa dictionis, & insolentia ac petulantia assertionis plebem oleant, agnoscere possum, non virum principem, principibus natum, aulæq; innutritum, ac domi forisq; celebrem; imò ne sanum quidem hominem, sed causæ quam tuendam atq; ornandam suscepit, & hîc & alibi persæpe proditorem; quod tùm nunc è vestigio, tùm suis locis multipliciter evictum dabo.

Res enim sic se habet: Jacobus Chifflctius Archiater Belgicus, Hispaniæ advocatus, aliquot abhinc lustris multis in eo fuit, ut duo potissimùm probata redderet. Inprimis Carolinam omnem progeniem

geniem masculinam, è rebus humanis jam pridem sublatam. Deinde proximos Carolinis successores atq; hæredes per fœminas superesse Austriacos Principes. Jure ne ista, an secus, & quo successu? quoniam ad nostram hanc causam parùm attinent, alii viderint. Pradio satis esse debebat, allegâsse, & quod ad rem erat, siquidem poterat, idoneis argumentis evertisse. Verùm tanti fuit, undecunque arreptâ occasione, Regem suum inanissimis palpationibus prensare, ut nullâ decori, nullâ honesti curâ, id etiam alienâ, quin, parùm dixi, in recessu propriâ Regis contumeliâ agundum duxerit.

Nam quod ex relato operis genealogici fragmento inter alia se ob oculos fert, tanquam palàm non esset, quàm sanctis sponsalibus ipse etiam Chlodovæus M. prodierit, Carolo Martello sui seculi prodigio natales oggerit vitiosos. Carolo M. ejus per Pipinum Brevem filium nepoti, avi natales eosdem probro objicit. Quod quid aliud est, quàm nævis paternis insultare? Paternis inquam.

per

Per Martellum enim (ut homo loquor) nisi ſtetiſſet, Europâ universâ Saracenorum furiis objectâ, de ipſa etiam Eccleſiâ actum fuiſſet. Poterat de Martello, illud, Felix culpa! (ut ne profanum ſit hoc uſurpare) quodammodo jactari. Carolum autem Magnum quis ignorat, omnium, quotquor Chriſtianus orbis tulit Principum, fuiſſe longè maximum, & ne Conſtantinis quidem, nedum Theodoſiis poſthabendum? Regnum is Francorum ex modico gloriæ potentiæque ad ſummum evexit. Petri ſedem in Italiâ ab interitu vindicavit. Fidem in Galliâ adversùs hæreſes ſtabilivit, in Germaniam potiſſimùm intulit, unde dein per Pannoniam Sarmatiamque & Septentrionem propagata eſt. Nec habuere Carolo majorem Galli (quatenus quidem ad ipſos pertinet) unquam, nec, mihi crede, quidquid ſatagant, habebunt. Hic verò ut Ludovico XIV. probrum ſit, ſi inter majorum imagines referatur, cui unquam ſano in mentem, nedum in buccam venit? Rahab quòd Iſraëlitarum triadi ſaluti fuiſſet, vitæ antea-

ctæ

ctæ maculam adeò eluisse visa est, ut Christus ipse inter majores eam suos computari probo non duxerit. Et Martelli nepotisque, patriæ verè patrum ingentia facta, toti Ecclesiæ, & per hanc universo orbi salutaria, tantum non potuisse pertendamus, ut elutâ maculâ culpæ alienæ, Galliæ modernis Regibus, (quibus, nisi per ipsos, ubi regnarent, non esset) sine probro majores assignari nequeant? Vereor paulò dehinc vel Christi familiam præ Capetina, Pradio similisque farinæ genealogis & assentatoribus ac basiliolatris nihili futuram; qui ipsi tamen inter hæc probrum non putant, Regum suorum majoribus abominabiles parricidas & perduelles, carnifici devota capita, ultro & contentiosè admodum, ac per fraudes ac fabulas innectere.

Ut verò hoc non urgeam, superesse tamen etiamnum hodiè per Germaniam Principes magni nominis, tùm dignitate, tùm, parùm abest, & potentiâ Regibus haud impares, quin & ex eorum sanguine in Septentrione magnum clarere

Regem

Regem, qui omnes circa genus ſuum maſculino etiam traduce, per Bernardum Pipinumq; Italiæ Reges à Carolo M. pariter atque Martello deducendum ultro ambitioſi ſunt, ignorare non poterat Pradius, qui tantam ſibi penum veteris novæq; hiſtoriæ comparâſſe videri vult. Quod igitur probrum per averſationem ſanguinis Carolini à Regibus ſuis amoliri nititur, id hoc ipſo in iſtos petulanter ingerit. Et mitius forſan aliquid, quàm cujus Dantem damnavit, meruiſſe ſibi videbitur?

Huic nobili Poëtæ Florentino, ſpecie ut refelleretur, reapſe ut circa natales Galliæ Regum ampullandi campum præberet, producendo ac lacerando paulò antè operam, ſed infeliciter dederat Pradius. Ille enim cùm à Carolo Valeſio Welficæ factionis per Hetruriam Duce ipſe Gibellinus civitate pulſus eſſet, doloris impatientiam in carmina effuderat, officii erga natales Hugonis Capeti nequaquam pro dignitate retinentia. Iſta tamen vel inter eruditos paucis nota, Pradius & extare alicubi, & ubi extent,

dignus

dignus, qui imprudentiæ mercedem ferat, evulgavit. Etsi enim Dantis caussam meam non faciam, gnarus, circa reges non nisi reverenter versandum: probari tamen non potest, regiæ causæ nullâ necessitate misceri, quæ passim ignota, eoq; etiam innocua, hoc ipso tamen, quòd perstringantur, noscendi pruritum lectori movent; lecta verò utcunque damnata, sine tacito tamen risu vel ideò non transeunt, quòd fuerit aliquis, qui malè feriati ingenii luxuriem etiam in Reges exerere ausus sit. Malè igitur eo facto regiæ dignitati, malè quam in Dantem parabat, ignobili vindictæ litavit, pessimè verò omnium sibi consuluit Pradius. Dantem enim cùm patriâ infamiter (hoc falsè quidem) ejectum oggerit, inprimis brutum in manes fulmen, impotentis animi indicium, umbrarum insectator torquet. Pro honestissimo enim ostracismo esse potuit relegatio, quæ non à judice, sed ab hoste, non à legitimo Principe, sed ab exoticâ vi, non legibus, sed armis, non crimini plectendo, sed ob fidem partibus servatam irro-

irrogata. Vellet profectò Christianissimus Galliæ Rex, nullus ambigo, ita in se animatos cives suos omnes, ut quoties ei cum Romanâ Curiâ, quod absit, litem armatam intercedere contingeret, cum Dante patriam, quàm fidem legitimo Principi semel dicatam, mutare mallent. Quòd verò hunc etiam helleborum mage quàm plagas meritum, velut pro tribunali Prætor edicat Pradius: crediderim, ut nobilis erat ille, ut è primoribus suæ civitatis, ut vel ipsis Gallis non dissimulantibus, è ducibus suæ factionis, hoc est cordatus & vir, nec Pradio tantùm, sed quovis alio minorum gentium undiq; superior: crediderim inquam, bacularíam, quam à Pradio tulit salutem, si hunc diem vixisset, fustuariâ salute redhibiturum fuisse. Sed bonum factum, quòd Pradius, qui ne provocatus quidem ullâ injuriâ in magnos Principes, quin etiam in Regem ipsum suum, Dante non minus contumeliosus est, hâc operâ ipse sui fulminis bidental, quid meritus sit, pronuntiaverit. Et hoc erat, quod Dantem volebam.

Nam

Nam velint nolint Galliæ Reges, jam pro Dante Pradium habent, quo calculum ferente, probrum quod Carolo M. genitos manet benè magnum, unà cum aliis ut subeant necesse est. Perinde enim est natalium vitium per fœminas, an per viros in sanguinem influat. Tametsi enim Christianissimi Reges, quo de sanguine Caroli M. per mares in se traducto glorientur, nequaquam habeant, eòque Pradius consilio haud illepido, (vulpeculam Æsopicam imitatus, poma, quorum copia non fiebat, aspernantem) fastigium, quò eos elevare nequit, contemptibiliter habeat: fœminas tamen Carolino sanguine prosatas, domui Capetinæ multipliciter insertas esse, qui ausit inficias ire, risum etiam pueris debebit. Ut enim de affinitate cum Austriacis, Carolinorum per fœminas progenie, toties contracta nihil dicam: nuper admodum duplici affinitate ex unâ domo Germanicâ, in Ludovici XIV. domum illata, Carolinum sanguinem Capetino immissum esse, aut saltem credi, quivis propè de trivio novit. Ex priscis

si alia

si alia omnia deforent, id tamen unum pro omnibus foret, quòd Ottonis majoris, Saxoniæ Ducis, uxor eademque Haduidæ (hæc verò ipsum Hugonem Capetum peperit) proavia, Ludovici sive Germanici, sive Francici filia, Carolinæ prosapiæ germen, Reges Galliæ Capetinos, nullo excepto omnes, posteris suis annumeret. Deniq; si tanti erat sanguinem vitiatum (qui tamen mille jam nunc annorum legitimo defluxu, per medios tot traduces intemeratos, depuratus videri poterat) natalibus regiis arceri: cur hodieque principibus regii sanguinis in Galliâ, generaturis si per fata licuisset, filios, qui aliquo casu, quem superi averterint, thronum Galliæ premere potuissent, uxores haud meliori quam Martellus sydere natas, domum deductas vidimus? Pradii arbitratu, probrum inde in regiam familiam derivatum intolerabile est, eoque ipse etiam in Reges suos contumeliosus, & quod dixi, causæ suæ proditor est. Ipsius hæc editio est, non mea. Ego mannm abstineo.

Illud

Illud verò novum prorsus atq; inauditum est, Carolum M. tantùm non integris novem post fata seculis, Pradio cuidam impuro calumniatori regni alieni usurpatorem audire, non Chilperici quidem Merovingici, à patre Pipino, è solio ad cucullum relegati, aut alterius cujuspiam de mascula Chlodovæi stirpe, superstitis miseratione, sed studio obscuri cujusdam Childebrandi, quem vix Pipini Heristallii undecunq; natum filium, nedum legitimam sobolem, conjecturis assequi satis possumus. Indignum facinus! clarissimos heroes, reipublicæ Christianæ pariter ac Francicæ Gallicæque verè liberatores, ac intentati communis exitii statores, non modò jam olim à Childebrandi istius suppositititiis nepotibus solio in posteris suis, sed nunc quoq; ab eorundem aulicis parasitis, & mercenariis assentatoribus famâ everti, ac lacerari! Tanti stetit Childebrandos illos ac Nebelongos, (si quidem Capeti progenitoribus accensendi sint) & Robertos atque Eudones, cuculos in nido, serpentes in sinu fovisse! Fas sit justo dolori veri aliquid effundere, quando

 Galli

Galli ſcriptores in tantorum virorum publicæ ſalutis vindicum regumq; noſtrorum manes, vel per calumnias atq; mendacia graſſari ludum putant.

At parùm erat futilibus conjecturis Capetinos Merovingiis inſeruiſſe, niſi è fundamento tàm nihili etiam maxima hodie bellorum momenta, quies & ſalus Europæ, ac fortuna omnium, quos peſſima ſua fors Gallis vicinos fecit, ſuſpenderentur. Quorſum enim iſta Achillei neſcio quid ſpirantia pertinent? *In me recipio demonſtrandum, quòd regibus deceſſoribus ejus* (Ludovici XIV.) *per mares de generatione in generationem ſarta tecta manſerint ea omnia, quæ à Francis ſeculo quinto armis ſubacta, &c.* Quorſum inquam, niſi ut denuntient, Ludovico XIV. ceu regum Merovingiorum ſero nepoti ac ſucceſſori, in eadem omnia, quæ Merovingiorum quondam, ſive in Galliâ ſive extra eam fuere, aut poſſeſſionem, aut ſi minùs hanc, certè titulos juſtos ac prætenſiones legitimas, hodieq; ſupereſſe, proinde ut primùm occaſio viresq; tulerint, iis vindicandis operam dare, non

poſſe

posse modò jure Christianissimum regem, sed & (quod ante annos haud multos irruptioni in Belgium prætexuit) quò conscientiæ suæ & honori, regioque officio consulat, teneri? Cur verò seculum tantummodo quintum metam statuat prætensionum Gallicarum Pradius, prætermisso in speciem, quod secutum est ævo, curiosioris indaginis fuerit. Putem eò spectare, ne in Germanorum illos, qui in Orientem vergunt, Septentrionisq; unà habitatores, Italos etiam, classicum nimis intempestivè detonaret. Quidquid sit, si vel ad literam soli quinto seculo institeris, cis Rhenum Germanica omnia, hoc est, non ea modò, quæ vel per pacta, vel per usurpationem in Gallorum possessionẽ transierunt, sed & Helvetia, & Belgii Hispanici reliquiæ, & Belgii Fœderati potiora, & quidquid reunionibus Gallicis precariò hactenus exemptum est; trans Rhenum verò Suevia omnis & Bavaria, & Franconia, & Hassia cum tractu Rhenano usq; in Frisios, utpote illo jam ævo Francis annumerata, si Pradio fides est, Capetinorum regum jure optimo maxi-

mo, etiam in hunc diem erunt patrimonium. Quin imò ut condignum patellæ operculum respondeat, unà cum *imaginariis Caroli M. hæredibus* Ludovico Magno, Autocratori nimirum suo, siquidem jus reddere & salvi esse cupiant, homagio præstando tenentur. Ulteriora autem Germaniæ, & viciniæ nostræ pars potior, cum Italis, ut quæ seriùs ocyus, seu pleno jure, seu restrictâ subjectione Francorum itidem facta sunt, novâ argumentandi ratione alibi exhibendâ, ut primùm rei patrandæ faventior aura præsentem modestiam excusserit, eodem denique luto hærere deprehendentur. Nunc enim suppresso in tempus consilio Polyphemi beneficio reservata sunt. Tàm enormes autem prætensiones, & quidem regulis jurisprudentiæ novæ & stabiliendo per Europam dominatui natæ instructas, nemo hactenus melioris notæ è Gallis tueri sustinuit, sed è rabularum quos vocant forensium grege aliqui tantùm, de illorum sordibus, qui inter homines (cum Poëta loquor) uti muscæq; culicesq;, pedesq; pulicesq;

licesq; odio, & malo, & molestiæ, bono usui sunt nulli. Princeps nunc tandem ex alio vitæ instituto Pradius tàm honestæ provinciæ nomen dare veritus non est.

Isthæc igitur sunt, quæ animum hisce vindiciis, ut adjicerem, perculere meum. Ast cùm duo se exhibeant velut summa controversiæ capita; alterum, jurene Capetinorum majores per virilem propaginem, ut Pradius tuendum suscepit, ad Merovæum pertineant: alterum numne seu pertinere illuc, salvâ veritate dari possit, seu non possit, iisdem juris inde quidquam in illa, quæ præter Galliam occidentalem, quinto post Christum natum seculo Francis addicta fuere, hodienum veniat: ipsa etiam hujus tractationis series ita instituenda est, ut priore loco in genealogiæ, qualem Pradius exhibet, pondus ac veritatem sedulus scrutator inquiram; deindè verò clarum ut faciam, nihil vel eo nomine, vel undecunq; demum Galliæ regibus in quæquam, quæ Francorum ullo ævo fuere juris esse, præterquam in illam Galliæ partem, quæ

poſt exceſſum Ludovici Pii, Cæſaris in notiſſima regni Francorum diviſione Carolo Calvo obtigit, aut quorum poſtea legitimis pactionibus aliunde Gallia iſta incrementum fecit.

Enimverò, ea Principibus noſtris abundatq; domi generis celſitudo atq; nobilitas, ut ſuâ ſorte contentis, procul invidiâ, quæ neminem niſi vilitatis ſuæ conſcium urere ſolet, parùm curæ ſit, quibus Diis Galli regnatricem apud ſe domum conſecrent. Per nos licet, paternum genus cum Alexandro Macedonum ad Herculem, maternum ad Achillem, utrinque ad Divos majores referant, modò ne fraudi id nobis ſiet. At verò fabuloſos regibus affingere ortûs, velut ingenii quodam luſu & oſtentatione, nec deindè modò, quod invidi ſolent, & Pradius non diſſimulat, cœteros præ illis velut Manios terræ filios ducere: verùm etiam ſerios vicinorum in jugula & libertatem fabulis ſuperſtruere titulos: id verò inquam ferri non poteſt, & huic ſcriptioni meæ luculentiſſimam defenſionem præbebit. Hujus iſtam mihi tractandi ratio-

rationem præstituo, intra palæstram, quantam Pradius dimensus est, ut me contineam, nequaquam illuc abduci me passurus, ut quod ex nostris alii faciunt, incertas Capetinorum origines, certo definire calculo, quòd nec hujus argumenti, neq; adeò opus est, meum faciam. Acturus enim illud unice sum, ut aut falsa omnino esse, quæ nobis ceu æternæ cujusdam veritatis effata, magniloquis suis genealogicis præconiis inculcare Galli non desinunt, aut summùm, non nisi intra cujusdam probabilitatis aut possibilitatis cancellos cohiberi ostendam, quæ proinde nisi apud tyrannos ac robustos regnorum venatores, hoc est, communes humani generis hostes, & juris fideiq; gentium eversores, ad turbandam vicinorum quietem, momentum præstare nullum queant. Illuc denique annitar, ut dimissis persæpe, quæ aliunde sumi poterant armis, ea ferè in adversarium torqueam, quæ ipse nobis suppeditat, palàm faciens, pugnantia loqui, & quæ hinc in argumenti structuram sui improvidè captat, illinc eidem quàm po-

tentissimè adversari. Ita efficiam, ut, quæ inprimis efficax est refellendi ratio, suo se laqueo induat, suis se spiculis configat.

(a) *Il seroit honteux à la troisiéme race de nos Rois d'estre sortie d'un usurpateur, dont l'ayeul paternel estoit bastard; & nostre Roy Louys le grand, qui possede aujourdhuy le plus fleurissant Empire de toute l'Europe, doit sa veritable origine au grand Meroveé, par le duc Childebrand, Duc de Bourgogne, fils legitime du Duc Pepin. Et je soutiens, que les Roys ses predecesseurs ont esté conservés de masle en masle jusques aujourdhuy dans les mesmes états, que les François ont subjugués dans le cinquieme siecle de la reparation de nostre salut, & que les heritiers imaginaires de l'Empereur Charlemagne doivent rendre hommage au legitime successeur de l'Empire François, comme à leur souverain.*



II. *Va-*

II.

Variæ circa origines Capetinas ſententiæ exponuntur.

ISthæc pro rei exigentia prælocutus ad opus ipſum nunc accingor. Id quò diſtinctius exeat, primùm hoc agendum putem, ut quæ ante Pradium circa origines Capetinas genealogos in diverſa traxerunt ſententiæ, eas paucis hoc loco exhibeam. Ita enim & Pradio collibuit, nequaquam inutili exemplo. Ex iis verò ut antiquitatis ita & ordinis primas fert, quæ Robertum Fortem, Hugonis Capeti proavum è Saxonibus accerſit. Agmen ingens ſcriptorum, veterum juxtà & recentiorum huic nomen dedit, quin etiam ea ipſa regnum aliquot ſeculis inter ſcriptores ſola obtinuit. Dux & autor præficitur Aimoinus, qui ſic infit: (a) *Obſiſtit primò eorum* (Normannorum) *ſævis conatibus Robertus Andegavenſis comes, Saxonici generis vir, cui per id locorum à rege ſumma rerum delegata erat.* Aimoini veſtigia legit ejus conti-

nuator in hæc verba: (b) *Supererant autem duo filii Roberti, comitis Andegavorum (qui fuit Saxonici generis vir) senior ex his Odo dicebatur, Robertus alter.* His Ivo Carnutensis, (c) & Guilielmus Calculus Gemmeticensis (d) seculo duodecimo subscripsere, intra tamen Aimoini verba se continentes. Urspergensis autem Abbas eodem ævo primus ultrà provectus, & definire Saxoniam illam, & patrem etiam Roberti adjicere ausus est, Witikindum quendam Saxonem, & Roberti avos præter Aimoini fortasse mentem, è virili Saxoniæ ducum prosapiâ repetere. Quibus verò Gallorum ab istâ sententiâ divortium postea facere visum fuit, illi & Aimoinum & asseclas eò deceptos voluerunt, quòd Hugo Capetus ob matrem Havidam Saxonem, Saxonici generis famam (quod credere ni fallor videri potiùs volunt, quàm seriò credunt) tulerit, unde dein Saxonicæ originis assertores, Robertum etiam proavum Saxonem fuisse, sibi persuaserint. Verùm & insolitum semper fuit filiorum genus ex matribus, aut avorum ex nepotibus æsti-

æſtimari, & Aimoinus ejusve continuator Capeto coævus ignorare non poterat, iſtene ſolus, & per matrem quidem, an verò & majores ejus eâdem famâ cenſi fuiſſent. Aliud igitur voluiſſe ſcriptorem, quando Robertum Saxonici generis nobis dedit, quàm quod verborum moderna acceptio objicit, haud fortaſſis ex vano conjicitur, quod & mox è tranſitu perſtringemus.

Iſti porrò ſententiæ pro Saxonibus facienti ætate proxima eſt, quæ Capetinos Merovingiis addicit; quam tamen qui tuentur, nequaquam uno tramite incedunt. Alii enim Theodemirum quendam in medium ſtatuunt, nullibi quantum ego quidem conjectando aſſequor, præterquam in Trithemii cerebro (cui pari ut fœcunditate ſic fide, Hunibaldum illum fabularum parentem totum deberi, cum Vorburgio ſuſpicamur) natum notumq; qui deinde Lazium atq; Münſterum ſequaces ſortitus eſt. Alii Albericum Chlogionis ſuppoſititium filium, alii Childebertum Theodeberti II. Auſtraſiæ atq; Burgundiæ regis nothum, exitio,

quod à Chlotario II. eum manebat fugâ, & vel latebris, vel ignoto vitæ exitu ſubductum, ſtabiliendæ ſententiæ ſuæ adſciſcunt; quorum omnium adſtipulatores Pradius enumerat.

Tertia Jacobi Chiffletii eſt, quam idem Pradius causâ neſcio quâ, albo ſuo inferre dignatus non eſt. Is verò Robertum Judithæ Imperatricis, quam è celeberrima Welphorum Aldorfenſium ſeu Agilolfingiorum proſapia Ludovicus Pius Imperator uxorem duxerat, ex fratre nepotem facit. Operoſus fuit in tuendâ hâc genealogiâ Chiffletius, ideoq; & illud nobis antea recenſitum Aimoini teſtimonium eleganter in rem ſuam vertit, aſſerens, (& hactenus quidem ex vero) Aimoini, aut continuatoris ævo, Germaniam Transrhenanam, quod in eâ & tùm, & antea dudum reges è Saxonicâ domo rebus præfuiſſent, à Gallis livore ductis paſſim (per contemptum fortaſſe, utve re Francorum excidiſſe videretur) vocitatam fuiſſe Saxoniam, ejusq; habitatores Saxones, ſine diſcrimine omnes, non aliter atq; nunc etiam, ut pridem,

ab

ab unâ suâ parte Germani omnes Gallis per errorem Alemanni audire coguntur. Confirmat hoc suum assumptum Chiffletius iis argumentis, quæ omnes Blondelli arietes quantumcunq; ferociter contrà promotos confringant. Nam vel unius Sigeberti Coloniensis exemplo (ut alia taceam, quæ manu nequaquam parcâ congessit) tutus est, qui Francorum rex omnium scriptorum, etiam Gallorum calculo, sed finibus latè per Germaniam Transrhenanam diductis cùm fuerit, Aimoino tamen eidem (e) rex Saxonum disertè nominatur, cùm Germanorum dicere voluisset. Ejusmodi igitur monumentis compluribus Chiffletius persuasus Robertum Saxonici, hoc est, Germanici generis virum Aimoino, & qui huic ante Urspergensem concinuere autoribus, dictum haud sine omni fundamento arguit. An verò pari felicitate in assignandâ eidem Agilolfingiâ domo versatus sit, hujus loci disquisitio non est. Illud tamen dixerim, haud mediocriter de regibus Christianissimis meritum esse, qui eos Agilolfingiis sive Guel-

phis vix alteri cuicunq; genti, antiquitatis & nobilitatis palmâ cedentibus, sententiâ suâ primus intulerit.

Sequitur dehinc illorum cohors, qui Capetinam gentem cum Carolina eodem omninò stipite prognatam tenent, & ipsi tamen in autore communi commonstrando per diversa labentes. Alii enim Clodulpho duci, dein Episcopo, S. Arnulphi filio natum tribuunt Martinum, eiq; Childebrandum, huic autem Theodericum, quem Saxoniæ ducem, Witikindi M. generum eâdem operâ constituunt. Alii Hugonem Carolo M. ex Reginâ pellice genitum. Alii Bernardo Italiæ regi, magni Caroli ex filio Pipino nepoti, filium, ut fortè fuit, Pipinum alium, beneficio Ludovici Pii Veromanduorum comitem, & ex eo nepotes Herbertum, de cujus natalibus res utcunque certa est, & Robertum Fortem, qui meritò ab aliis expungitur, largiuntur. Alii Hugonem Lotharii Lotharingiæ regis ex Waldradâ filium spurium, Lotharii Cæsaris nepotem, Roberti ejusdem genitorem

rem prædicant; qui omnes, per nos licet, ſuo ſenſu abundent.

Deniq; Bouchetius ante hos circiter triginta annos in lucem prodiit, qui à Pipino Heriſtallio ſeu Craſſo regionum inter Moſam, Oceanum & Arduennam, nec non Franciæ primævæ, cujus nunc pars potior Franconia dicitur, duce, Plectrudi Agilolfingiæ repudiatæ uxorem ſuperinductam aſſeruit Alpaidem, ex quâ Carolum Martellum & Childebrandum filios tulerit legitimos, illum regum Carolinorum, hunc Capetinorum progenitorem. Childebrando enim Nebelungum Madricenſem comitem, huic Theodebertum filium jungit, Theodeberto autem Robertum, & huic alterum Robertum, illum de quo lis eſt Fortem. Præterea majores Pipini enumerat Anſegiſilum patrem, S. Arnolphum avum, & iſtud quidem nemine impugnante. Proavum verò Arnoaldum Bodgiſum, ſive Buggiſum, abavum Ansbertum ſenatorem, Chlotarii alicujus generum, atavum Ferreolum, ex Arverniæ proceribus, idem Bouchetius vitâ Clodulphi du-

cis

cis atque Episcopi, aliisque documentis haud vulgaribus nixus, cùm statuit, contradictores atq; censores, & Pradium & alios experitur acerrimos.

Recenset præter unam Chiffletianam, paritérq; reprehendit has omnes sententias Pradius discursu procemiali secundo; & Bouchetianam illam aliquamdiu non vulgo tantùm in Galliis receptam fuisse, verùm celebres etiam adstipulatores, eosdemq; partim addictissimos propugnatores Sanmarthanos fratres, Tennevrium, Blondellum, Labbeum, aliosq; nactam, unà testis est. Nec minùs auctorem ibi ab ingenio & eruditione insigni commendat. Putem tamen hoc frigidum cataplasma viro mox hinc inde per cœteram genealogicam deductionem variè lacerato, nequaquam satisfecisse. Nos verò his omnibus calculo nostro nec addicimus quidquam, nec demimus, contenti retulisse. Perinde enim ad institutum nostrum est, undecunq; majores Capetini cœteris scriptoribus nascantur; cùm in eo maximè versemur, ut Pradii turgidum fastum retundamus, ejusque genea-

genealogiam nihili convincamus, quòd ſtudio, quo fertur, gloriæ Capetinorum ſuper omnia exaltandæ, injuriam in exteros cum tumore & arrogantiâ ſtratioticâ, illaudabili facinore præ cœteris conjunxerit. Pœnam inde debet autor, ſuo more modoq; tractandus.

(a) *Hiſtor. miracul. St. Benedicti, lib. 2.*
(b) *De Geſt. Francorum, lib. 5. c. 41.*
(c) *Epiſt.* 41.
(d) *Hiſt. Normann. l.* 8. *c.* 26.
(e) *De geſt. Franc. l.* 1. *c.* 18.

III.

Pradii ſyſtema genealogicum exhibetur.

NOviſſimus igitur agmen claudit Pradius, illâ quæ huic operæ materiem præbet, genealogiæ regiæ hiſtoriâ. Nam & ipſe Carolinos juxtà & Capetinos reges ejusdem ſoli plantas venditat, à cœteris tamen omnibus in eo maximè diverſus, quòd ambas Merovingicæ radicis

cis ſurculos velit. Inficias autem ire nequit, ſi quid ineſt doctrinæ ſuæ ſplendidæ novitatis, eo maximè Bouchetio, quantumcunq; diſſimulet, & malè gratias habeat, teneri. Nam eundem quem ille Childebrandum Pipini ducis filium, quod caput erat, ſententiæ ſuæ fulcrum ſubſtituit, quem confidentiore auſu eò erigere, & qualibuscunq; argumentis ſtatuminare, niſi præ aliis Bouchetio in mentem veniſſet, per Pradium quidem arbitror, ædificii illa ingens ſpecie moles adhuc informis jaceret. In eo tamen mox à Bouchetio divertit, quòd hic quidem Childebrandum pariter ac Martellum Pipino ex Alpaide juſtâ uxore natum benignè ſcripſerit; Pradius autem Alpaidi dotem atq; tabulas, juſtæq; uxoris nomen unquam uſpiam fuiſſe perneget, Martelli unius matrem eam mordicus teneat, Childebrando natales legitimos per Plectrudem Agilolfingiam æquè ac Drogoni & Grimoaldo legitimis Pipini filiis tribuat. Childebrando exinde iterum cum Bouchetio Nebelongum filium addicit quidem Pradius, ſed quem pro Madri-

Madricensi Augustodunensium comitem pertendat. Dehinc etiam Nebelongo Theodebertum filium, & ex eo Robertum quendam nepotem, Aganæ Bituricensis maritum pariter cum Bouchetio concedit, ut tamen Roberti Fortis genitores fuisse inficietur. Theodebertō ex adverso fratrem natu majorem sociat Childebrandum secundum, Eccardi cujusdam, & hunc Nebelungi secundi patrem, quo demum Robertus Fortis, Hugonis Capeti proavus, felici sidere prodierit, Et hæc quidem Capeti majores ad Pipinum usq; ducem attinent.

Jam verò, quod ad illos facit, qui Pipino altiores sunt, in patrem ejus Ansegisilum avumq; Arnolfum Pradius cum Bouchetio coincidit. Hoc enim per solida illius ævi documenta dubitatione exemptum est. Nuptias verò Ansberti Ferreolo senatore Arvernico nati cum Blitilde Chlotarianâ sobole, & inde genitum Arnoaldum Arnolfi patrem penitus aversatur; quin etiam succensere videtur Andreæ Chesnæo, (a) quòd is viri probi officio functus, quæcunq; sub manum

manum venerant antiquitatis graphica monumenta, judicium, quod decebat, lectori relinquens, candidè, ut profitebatur edidisset, unàq; cum illis schediasmata nonnulla, quibus nuptiæ Ansbertinæ eatenus steterant, vulgâsset, nullâ ut queritur Pradius curâ, *quid in recessu haberent*, &c. Enimverò nimis se hîc prodit sorex, ut meritò suspicari liceat, suppressisse hoc in opere genealogico non pauca, quæ sententiæ suæ convellendæ idonea agnoverat, quando Chesnæo vitio vertere audet, quòd in supprimendis ejus generis documentis, haud satis vafritiei exercuisset. Id verò quàm sit veritati justitiæq; litare, mecum quisq; æquus arbiter judicet. Verùm constent istæ nuptiæ, nec ne, nostrâ quidem parùm refert.

Sistebat ergò in S. Arnolfo Pradius cum historiâ suâ genealogicâ primæ editionis ante hoc quinquennium publicata, hactenus tamen, ut eundem virili Merovingiorum stemmate prosatam frivolis qvibusdam conjecturis jam tùm pronuntiaret. At verò in historiâ Galliæ regum,

qvæ

quæ genealogiam editionis primæ qvadriennio pòst secuta est, magnum quid præstitisse sibi videtur, quando Bodegisilum quendam ducem & Mundericum, & Chlodericum, & Sigebertum aliqvoties jam nobis memoratum, Ripuariorum, seu mavis, Coloniensium Francorum, ac Transrhenensium, & notissimum Merovæum Salicorum regem, inter proavos ejus cooptat, & lectorem, eâ de re fusiùs doceri cupidum, ad alteram historiæ suæ genealogicæ editionem ablegat, cujus tamen copia facta nobis hactenus non est.

Hoc igitur tramite gradientibus genealogiæ Capetinæ series, Pradii fide, lineâ rectâ masculinâ hunc in modum effingenda est.

1. *Merovæus*, Francorum Salicorum rex, qui excessit è vivis juxta Pradium anno 449. verius anno 455. aut sequente.
2. *Sigebertus Claudus*, Francorum Ripuariorum & Transrhenensium rex. Periit circa annum 412.

3. *Chlodericus Parricida*, Sigeberti filius; periit mox post patrem.

4. *Mundericus Perduellis*, Chloderici filius; periit circa annum 528.

5. *Bodegisilus*, Dux.

6. *S. Arnolfus*, natus secundùm Pradium circa an. 580. veriùs circa annum 570. vel antè; denatus secundùm eundem anno 631. verisimilius circa annum 641.

7. *Ansegisilus*, seu *Ansegisus* à Sicario confossus circa an. 647.

8. *Pipinus Heristallius*, qui & *Crassus* & *Audax*, Plectrudis maritus mortuus an. 714.

9. *Childebrandus I.* Pradio cum posteris comes Augustodunensis, qui obiit circa an. 754.

10. *Nebelongus I.* eâdem Pradii fide comes Augustodunensis.

11. *Childebrandus II.* qui vixit adhuc an. 827. comes Augustodunensis.

12. *Eccardus*, comes Augustodunensis, fato functus circa an. 885.

13. *Nebelongus II.* comes Augustodunensis, qui vixit adhuc an. 879.

14. *Ro-*

14. *Robertus Fortis*, comes Augustodunensis & Andegavensis; cecidit in prælio adversùs Normannos anno 866. vel 867.

15. *Robertus* 2. periit an. 922.

16. *Hugo Magnus*, Dux Francorum; obiit an. 956.

17. *Hugo Capetus* extrusâ progenie Carolinâ in regem sublevatus.

(a) *Gen. Part.* 2. *sub S. Arnolfo. André du Chesne sans en examiner la consequence, a fait imprimer quelques pieces, &c.*

IV.

Regum, ducumque & comitum Francorum, qui à Pradio Hugoni Capeto seu jure, seu injuriâ majores dantur, historica brevis persecutio.

SEquemur nunc Pradium ducem, & priusquam ipsam disceptationem ingrediamur, quos Hugoni Capeto aptat majo-

majores, historicâ exegesi, succinctâ illâ quidem, sed proposito nostro accommodâ ex ordine illustrabimus.

1. *Merovæus, Rex Francorum.*

Quibus majoribus, quâ domo ortus sit Merovæus, veterum nemo securâ fide tradidit. Verisimile est, antiquâ, seu ducali, seu regiâ Francorum ad Isalæ Luppiæq; flumina colentium stirpe satum, seu Chamavi fuerint isti, seu, quod malim, Ansibarii, seu populorum uterq;. In Gallia stabilem cum Francis suis pedem fixit primus, cùm anteriorum & novissimè Chlogionis conatûs irriti semper fuissent. Eas tamen sedes non ingratiis Romanorum, sed operæ adversùs Attilam navatæ pretium amicâ conventione sub annum 450 tulisse videtur. Prælio Mauriacensi contra Attilam, utcunq; id Pradio displiceat, interfuit, lustrumque inde unum in vivis adhuc extraxit. Vulgus historicorum, cui Pradius haud obscurè calculum adjicit, Francis universis regem præfuisse prodit, sed nullo fundamento. Rex fuit gentis unius, alteriusve è plu-

è pluribus, quæ Francico nomine veniebant. Dux autem earum omnium, quæ cognomine Saliorum celebrabantur, Francorum inquam, qui infra Bructeros, hoc est, infra ducatum Montensem, & Chattos, usq; in Frisios, inter Rhenum atq; Visurgim illo ævo supererant. Filium, de quo constet, genuit Chilpericum.

2. *Sigebertus Rex,*

Qui Merovæo filius, Chilperico frater, à Pradio nequidquam tribuitur. Hujus de rebus Gregorii Turonensis (a) & Epitomatoris (b) & Aimoini (c) beneficio hæc ad nos perlata sunt. Fuisse Francorum Coloniensium regem, vetulum tùm, atq; ex vulnere, quod in conflictu Tobbiacensi ab Alemannis tulerat, claudum. Receptum ab eo hospitaliter S. Furseum Hybernum, cui indulserit, ut in Saxoniâ (ita dictam Aimoino Germaniam Transrhenanam ex hoc etiam loco didiceris) cœnobium conderet, quod adeò omnium apud nos inter Rhenum atq; Danubium facilè primum fue-

rit. Filium præterea ei fuisse Chlodericum, à quo Chlodovæi fraudibus inducto, cùm fines regni circumiret; inter meridiandum in sylva Buchoniâ (hæc Thuringiam Hassiamq; distinguit) oppressus sit. Discimus hinc etiam regnâsse apud Francos Ripuarios hoc est, illos qui inter Rhenum, Mosam Mosellamq; usq; in Treviros & sylvam Arduennam consederant, tùm & apud eos, qui trans Rhenum in adversâ Coloniæ Agrippinæ ripâ habitabant, Bructeros & Chattos, seu Hassos inferiores, usq; ad Lonam fluvium. Rursum etiam apud Hassos superiores, quos sylva Buchonia perstringit, cùm objectis ad Rhenum Mœnumq; Nassoviis, Rhinicoviis & Wetteraviis. Quæ quidem iis, quos allegavimus testibus, quod satis sit, fulciuntur. At stetisse sub ejusdem imperio populos etiam, qui Mœno Nicroq; clauduntur, quiq; Franconiam hodiernam incolunt, tùm Treviros ipsos, cum Mediomatricum forsan portione, id non nisi conjectando meum fecerim.

3. Chlo-

3. *Chlodericus Parricida.*

Non aliâ re insignis, quàm quòd à Sigeperto patre copiis, Chlodovæo adversùm Visigothos auxilio missis dux præfectus, quodque patris fata spe mansuræ Chlodovæi operâ successionis nefando parricidio maturaverit; cujus deinde justâ talione, sed quam ab alio, quàm Chlodovæo, sceleris paulò minùs, quàm manifesto suasore, irrogari decuerat, pœnas dederit.

4. *Mundericus Perduellis.*

Chloderico Parricidæ filium jungit Mundericum perduellem Pradius. Crediderim non aliâ magis causâ, (cœteræ enim omnes vacillant) quàm quòd dignum malo corvo ovum reperisset. Insurrexit verò is dominandi libidine, adversùs Theodericum Austrasiæ regem, Chlodovæi M. filium, quem bello Thuringico periisse fama tulerat, falsò regum (quod Pradium decepit, aut aptiùs, quo decipi de industriâ voluit) consanguineum se asserens, traxitq; in eandem insaniam Arverniæ plebem. Sed exercitu

Theoderici gnaviter incumbente, ut se in munitum, ut tunc, castrum Victoriaci (d) recepit, & vis in eum parùm efficax visa fuit: dolo Aregisili à rege subornati, indè abstractus, atq; à militibus confossus est, postquàm ultionem rabidæ in modum feræ ab Aregisilo ejusq; sequacibus ingenti carnificinâ sumpsisset. Filios habuisse ipso apud Gregorium Turonensem teste discimus; qui quales fuerint, quidve cum iis actum sit, historiæ silent. Pradius autem post mille ducentos propè annos Gundulphum fuisse & Bodegisilum, illum Tungrorum Episcopum, hunc alicubi inter Francos ducem, pro suâ perspicacitate primus deprehendit. Periit Mundericus ex Vorburgii computu circa annum 528. qui scil. Theoderici regnantis quartus decimus fuit.

5. *Bodegisilus.*

Hunc unà cum fratre Gundulpho post patris infelicia fata curâ Chlotarii Suessionum regis educatum, deinde inter proceres Theodeberti II. Austrasiæ regis magno

magno loco fuisse, Pradius idem magister docet, nitens per omnia vitâ Gundulphi, quam scriptor Arnolpho, Bodegisili secundùm Pradium filio, dedicavit. Id quàm rectè, investigabimus.

6. S. *Arnolfus.*

Scriptor vitæ S. Arnolfi (e) coævus planè, imò quod ipse de se prodit, sancto admodum familiaris, *satis alto ac nobili inter Francos loco* natum ait; quod sanè regios ortûs non sapit, etsi plus coævo modernus Pradius hîc sapere velit. Rei publicæ admotus est, promovente Gundulpho sub Theodeberto II., Austrasiæ rege. Apud Chlotarium deinde Secundum, universæ Franciæ regem (haud dubiè, quòd ei post Theodeberti & Theoderici regum Austrasiæ tragicos exitûs, in conciliandis Austrasiorum adversùs Brunichildem & Theoderici liberos nothos, animis utilem operam navâsset) magnâ gratiâ floruit, & postquam ex Dodâ conjuge filios Clodulphum & Ansegisum suscepisset, Metensem Ecclesiam postulatus præsul cum aulâ commutavit, an

communicavit? Inde in eremum Vosagi montis secessit, ubi diem extremum sanctè clausit, anno seculi septimi primo post trigesimum, quod Pradium velle diximus, vel quod propius verò, primo post quadragesimum.

7. *Ansegisus.*

Sive Ansegisilus, S. Arnolphi ex Dodâ uxore filius natu minor, Beggæ, quæ Pipini majoris, sive Landi Austrasiæ inter Mosam, Oceanum & Arduennam ducis filia fuit, maritus, ex quâ prolem unicam, de quâ constet, genuit Pipinum, quem sæpe diximus, Crassum. Interiit manu sicarii Gundoini, anno 647. ut Galli computant, quem tamen diutiùs superstitem fuisse, Vorburgius Sigeberto Gemblacense in testem vocato (f) tenet. Vetus apud Francones traditio est, nec testibus destituta, Caroli Magni majores Franconiæ duces claruisse. Cui si sua constet autoritas, primum ex iis illuc provectum crediderim Ansegisum hunc ipsum; quæ tamen alterius loci tractatio est.

8. *Pipinus.*

Ansegisi & Beggæ filius, S. Arnolfi & Pipini Landi ex filio filiâq; Grimoaldi verò Majoris domûs Austrasiæ, ex sorore nepos; ab habitu corporis Crassus, ab habitu animi Audax, ex loco demum in Tungris, ubi plusculùm habitare consueverat, Heristallius cognominatus. Editum fuisse superstite etiamnum in vivis S. Arnolfo avo, neq; id diu post annum seculi septimi trigesimum, suo loco ostendam. Principium ejus operum, atq; adeò specimen indolis fuit, quòd patris interfectorem Gundoinum in sinu Galliæ abditum, ipse de partibus Transrhenanis uno stipatus famulo adventans, primæ adhuc juventutis flore tinctus, manu propriâ, unàq; familiam trucidaverit. Partâ hâc paterni interitûs ultione feliciter suis restitutus, Audacis cognomen tulit. Inde factum est, ut paterni amici, duces ac optimates Francorum gratulaturi victoriam, cum convenerint, ejus etiam fidei se committentes. Id verò indicio est, & magnâ jam tùm fuisse po-

tentiâ trans Rhenum, eamq; haud dubiè paternâ ſucceſſione cretam. Acceſſit deinde Grimoaldi avunculi interitu vacuefactus Pipini Landi avi materni ducatus infra Moſam. Quem ſecuta eſt Francicorum optimatum ſub rege Neuſtrio, & factione Gallicâ oppreſſorum ad eum fugâ, quorum reſtitutioni fortiter inſiſtens, poſt varium Martem, rege tandem ipſo & regiâ poteſtate, citra nomen tamen regium, potitus eſt. Quare per omne Francorum regnum ex eo pro arbitrio omnia geſſit. Uxorem duxit Plectrudem Agilolfingiam, Hugoberti primi, Bavariæ ducis, filiam, quod Bavariæ annales teſtantur (g) nec Pradius diffitetur. (h) Liberos inde mares tulit Drogonem & Grimoaldum. Ille à patre pro poteſtate Campaniæ Burgundiæq; dux renuntiatus eſt, & mortem cum vitâ commutavit anno 708. ſuperſtite filio legitimo Arnolfo tùm puero (qui anno 723. à Carolo Martello patruo cæſus eſt) & Hugone, Lutetiæ aliarumque diœceſium Epiſcopo. Grimoaldum verò pater Majorem domûs Dagoberto II. regi cir-

cum-

cumdedit. Sed & is paulò ante patris extremum diem anno 714. sicarii scelere nefariè extinctus est, relicto ex pellice Theobaldo filio notho. Plectrude effœtâ pellici operam dedit Alpaidi Pipinus, unde filium Carolum Martellum sustulisse extra controversiam est. Huic & Drogoni & Grimoaldo fratrem, qui superaddunt Childebrandum, Alpaidem matrem tribuunt historici usque ad Pradium omnes. Iste unus primusq; & novissimus, fœdo adulandi pruritu Plectrudem matrem legitimosq; natales ei largitur. Quàm id ex vero, ordine suo discutiemus.

Pipinus Crassus anno salutis 714. Jupilliæ febri tandem consumptus est, octogenarius aut eo major. Post obitum vidua Plectrudis nepotem ex Grimoaldo nothum, quem memoravimus, Theobaldum in præfecturam Palatii sublevat, ejusq; nomine Rempubl. ipsa gerit. Carolum Martellum privignum ingentis spei, ut speciei juvenem carceribus mancipat. At Franci muliebris imperii haud diu patientes recalcitrant.

Carolus vinculis eximitur, & aliquamdiu cum rege & Majore domûs Raginfredo, quin & cum novercâ & nepotibus colluctatus, tandem omnibus ſuperior factus, univerſam Franciam ſub rege ſolus tenuit, eò felicior, quod potentiam immenſè auctam, in poſteros, illuſtriorem futuram transmiſerit.

9. *Childebrandus I.*

Veluti natura Carolum Martellum progenitorem fecit regum Franciæ Carolinorum: ita naturam malè æmulatus Pradius, hunc Childebrandum, incertum an Pipini filium, regum Capetinorum ſatorem facit. Ejus memoria niſi per Fredegarium, ſeu mavis Continuatorem hujus, & pretio quidem empta, aut certè emendicata ad nos durâſſet: magno utique rei hiſtoricæ diſpendio intercidiſſet. Ter tamen omninò etiam Fredegarius heroëm ſuum produxit, tripliciq; facie; nunc Germanum Martelli, & ab eo militum agmini adversùs Sarracenos præmiſſo impoſitum; nunc avunculum Pipini Brevis, ejusdemque in expeditione Bur-

Burgundicâ comitem; deniq; scribendæ historiæ autorem. Dux scriptori audit priore utroq; casu, postremo autem Comes tantùm; ut nescias utri accedendum, nisi quòd illic à nudo militum ductu honoratus videatur. Ab industriâ etiam tepidè laudatur. Et quis credat historicum Mecœnati suo frigidâ laude minus aliquid præstare potuisse? Pradius autore suo liberalior esse satagens, Augustoduni comitem, ducem verò Burgundiæ designat. Cui si credere fas est, Childebrandus anno 755. è vivis excessit, cùm eodem autore patre, quem statuit, Pipino orbatus adhuc in cunis ageret, quod suo loco reposcam. Idem verò Pradius ei filios tribuit Theodericum & Nebelongum. Ab illo stirpem comitum Barcinonensium, seu Marchionum Hispanici limitis propagatam dicit, filiumque tribuit S. Guilielmum, & ex eo nepotem Bernardum Camerarium, qui turbis inter Ludovicum Pium ac filios per crimen cum Juditha Imperatrice imputatum obtentui fuit. Ex Bernardo autem isthoc pronepotes Guilielmum alterum & Bern-

ardum alterum, qui cum patre perdu
lionis rei, malè perierunt.

10. *Nebelongus I.*

Hic Fredegario filius Childebrandi c
& à solo historiæ continuandæ stud
nec alio deinde nomine, quod de ta
regum prosatore mireris, scriptori co
mendatus. Progenitor enim regum C
petinorum, & comes Augustodunens
& pater Childebrandi II. ac Theodebe
Pradio, etsi nullis afferti fulcimentis
causam facientibus esse jubetur. Dura
n annum 755. aut ultrà.

11. *Childebrandus II.*

Hunc pari autoritate Pradius comit
creat Augustodunensem, Matiscon
sem, Cabillonensem & Morivensem,
rus obscuro, & ad rem nihil conferen
diplomate Dionysiano. Ex scriptorib
qui se luci hactenus credere ausi sunt,
ejus meminerit, præter Eginardum
mo laudatur; ita tamen, ut nescias isthu
Childebrandum, Nebelongi filium, Ch
lebrandi I. nepotem, an alienum
luc

luerit. Nec enim aliud Eginardo autore discimus, quàm quòd inter copias à Ludovico Pio, Bernardo comiti Barcinonensi adversùs Sarracenos submissas, unà cum Abbate Elizachar, & Donato comite, magistratum Childebrandus quidam gesserit. Filii tribuuntur Theodericus & Bernardus.

12. Eccardus.

Eccardum Pradius Augustodunensibus, Matisconensibus, Cabillonensibus, & Morivensibus, velint, nolint, comitem obtrudit, idq; instrumentis, quæ nihil ejus quidquam loquuntur. Eidem vicissim pariter invito filios Nebelongum II. Theodericum, Eccardum alterum & Richardum attribuit. Uxores fuere Albegondis & Richildis. Obitûs incertus dies, nec tamen annum 885. excessit.

13. Nebelongus II.

Hunc Pradius à Carolo Calvo agri modicâ parte alicubi auctum rebus Burgundiæ superioris componendis, & ne solum quidem, delegatum, eidemque Carolo,

nunc munifico S. Dionysii benefa
nunc inter partes litigantes judici
ævi more testem vel assessorem, m
ficè prædicat, nugas meras & quisq
(ac dubium quidem an ad unum
demq; Nebelongum pertinentes) p
bus magnis venditat, pari scil. jud
ac fide, quâ etiam comitem facit A
stodunensem, Altisiodorensem, &
nensem, prætereaque Eccardi filiu
Roberti Fortis, & Theoderici, &
dramni, Ademari, aç Adalelmi pa
In vivis egit adhuc anno 871.

14. *Robertus Fortis.*

Quàm hic, falsè à Pradio in alicuju
belongi filium, Eccardi nepotem d
mitur: tam constat verè Hugonis C
proavum fuisse. Saxonicæ, hoc est,
manicæ stirpis virum nominat Aimo
Hugoni coævus. Sive advena ipse
patre è Germanis advenâ, in Gallii
tus, rebus Caroli Calvi haud semel
ti fuit, in flore ipso, si Pradio adsti
mur, juventutis. Ducatûs ei Neu
cura inter Ligerim & Sequanam,

cum belli ductu adversùs Normannos piratas, à Carolo Calvo commissa fuit, cujus deinde liberalitate comitatum etiam Augustodunensem consecutus est, brevi tamen gaudio, ut possessione; quippe à Bernardo limitis Hispanici Marchione vi mox extortum. Cecidit vir fortissimus magno Galliæ luctu, ut clade, in prælio cum Normannis ad Ligerim. Filios superstites admodum pueros reliquit Eudonem & Robertum, quorum utriq; dein adversùs Carolum Simplicem regium Galliæ diadema per factiones obvênit. Et Eudo quidem à Caroli Crassi destitutione, quæ in annum 889. incidit, annis novem præfuit.

15. *Robertus Rex.*

Augustodunensis Comes, Robertus iste, & Andegavensis Neustriæq; ad Ligerim Marchio, malis avibus ut artibus, anno 922. contra Carolum simplicem, fratris exemplo rex à seditiosis proclamatus, anno insequente manu Caroli Antagonistæ, os quo pejeraverat lanceâ trajectus occubuit, Filium reliquit Hugonem Magnum,

Magnum, tùm juvenem, patre meliorem, quia minùs ambitiosum.

16. *Hugo Magnus, sive Albus,*

Prælio, quo pater malè perierat, superstes & victor, Rudolphum Burgundiæ partium præsidem, exercitui paterno rebellibusq; regem adscivit, sub quo Carolus Simplex ærumnis & carceris squallore tandem interiit. At Rudolpho postmodum è vivis sublato, Simplicis filium legitimumque successorem Ludovicum Transmarinum meliore consilio rebus imponit. Decessit anno 956. Ex Havidâ Henrici Aucupis nepte, Ottonis M. filiâ inter cœteros liberos tulit Hugonem Capetum.

17. *Hugo Capetus Rex.*

Avo quàm patri similior; quippe quam hic Galliæ restituerat Caroli M. posteritatem, ipse ejecit. Anno enim 987. mox à Ludovici Ignavi obitu in regem levatus est, adversùs Carolum Ludovici patruum, Lotharingiæ inferioris, hoc est, regionum inter Mosam, Oceanum & Ardu-

Arduennam ducem, quem jura omnia successorem nuncupabant, quemq; præter fas repudiatum, captum quin etiam, & vinculis mancipatum tandem carcer consumpsit. Fratres Hugoni fuere, Otto & Eudo Henricus, Burgundiæ duces; filius etiam præ aliis Robertus Pius rex, ex quo Capetina domus processit, quæ exinde in hunc usq; diem haud interruptâ serie res Galliæ occidentalis moderata est, magnâ felicitate, si hanc regnantium è commodo metiaris. Cœterà enim populus avitâ Francicâ libertate usq; adeò his regibus excidit, ut fataliũ propè mancipiorum hodie exemplum esse queat; cùm ex adverso Franci orientales, hoc est, Germani, libertatis civilis incrementum, magno gradu in singula secula fecissent.

Hanc genealogicam seriem ita scrutando persequemur, ut prætermissis, quæ ad causam presse non faciunt, ea modò sub examen vocemus, quæ vel eversa omnimodè, vel ad meram alicujus verisimilitudinis tenuitatem redacta, Capetinos titulis, quos in ea omnia, quæ Merovingiorum quondam fuere, à suis

ſuis fabricari patiuntur, quiq; nudis veriſimilitudinibus nixi, nil niſi grande ludibrium ſanis omnibus debent, exuant. Hoc enim ipſum lectores apprimè monitos velim, non aliâ magis intimâ causâ, tàm inviſos eſſe Pradio, eos omnes, qui vel Childebrando I. vitioſos, vel Martello fratri juſtos tribuunt natales, quique Ansberti nuptias, ac Arnolfi Arvernicas origines, aut Chiffletii Welficam, regibus Chriſtianiſſimis tàm glorioſam aſſertionem tuentur, quàm quòd iis ſtantibus, orbi, quòd unicè ſatagit, nunquam perſuaderi ſatis poſſe, probè noverit, jam tùm à Chilperici detonſione, è Merovingiâ domo, nec ſuperfuiſſe legitimam progeniem, nec etiamnum ſupereſſe aliam, præter Childebrandi poſteros Capetinos. Ad hos enim jam inde ſolos Francorum veterum jura omnia, nullo ſeculorum lapſu, ſi Diis placet, neq; ullâ inter gentes cognitâ ratione imminutâ, imminuive aptâ derivare conſtituit; quæ deinde, ut primùm per ſocordiam noſtram licuerit, quà data porta, prorſus, quod jam cœptum eſt, in vicinorum,

Germa-

Germaniæ inprimis, exitium porrò eruptura sint.

Ita verò rem aggrediemur, primùm ut Sigeberto Francorum Coloniensium regi Merovæum patrem, deinde Mundericum nepotem, Munderico autem Bodegisilum, huic S. Arnolfum filios falsè tributos, eripiamus. Dehinc nullo documento per Pradium constare evincemus, S. Arnolfum regiis Francorum originibus editum. Childebrandum quoq; primum Pipino Crasso filium aut omnino nullum, aut non legitimum fuisse luculenter demonstrabimus. Exinde ostendemus Nebelongum II. nec filium Eccardi, nec Roberti Fortis patrem ritè comprobatum. Tot modis concussâ & eversâ Pradianâ hâc in nostram perniciem conflatâ machinâ, illa deniq; etiam redarguemus & summovebimus, quæ extra genealogicas rationes, asserto statuminando adversarius assumpserat.

(a) *Hist. l.* 2. *c.* 4. (b) *cap.* 26. (c) *l.* 1. *c.* 18. (d) *Vitry en Parthois.* (e) *Extat in actis SS. Benedictinorum Mabillonii.* (f) *Demonstrat. Histor. ad an.* 659.

(g) *Adlz-*

(g) *Adlzreiter Hist. Bav. ad an. 645. & 646.* (h) *Hist. P. 1. sub Dagoberto II & Geneal. P. 1. sub Pipino, & Proœmii pag. 6.*

V.

Originis, & primævi systematis, & incrementi Francorum nonnulla huc pertinentia delibantur.

ANtè verò quàm in isthæc penitiùs nos insinuemus, sunt nonnulla ad origines Francorum, veteremq; Remp. & incrementum gentis pertinentia, & inter tot antiquitatum nostrarum scrutatores, non æquè omnibus pro dignitate excussa; quæ tamen prælibata huic tractationi lucem afferre eximiam possint. Et Francorum quidem nomen Tacito incognitum, non diu tamen post ejus ævum invaluisse persuasum cum plerisq; habeo. Gentes, quæ illo celebratæ, Germanicæ omnes fuere, & earum, quæ primas tenuêre, Chatti, Bructeri, Chamavi,

mavi, Ansibarii, Cherusci, Chauci, Frisii, Tacito cœterisq; illius ætatis Geographis, historicisq; non cognitæ modò sed & sedibus inter Lonam, Rhenum, Visurgim fluvios, & Oceanum, sic satis distinctè descriptis, haud mediocri claritate ad posteros commendatæ. Hoc ipso impudentiæ mendaciiq; convincuntur, qui secutis seculis è Pannoniâ, aut è palude Mæotide, ipsaq; etiam Phrygiâ nostras in oras deductos fabulantur populos, quos jam tum sub Christi nativitatem Augusto Cæsare Rheni nostri accolas, & quod Tacitus disertim asserit, Germaniæ indigenas fuisse, apud omnes in confesso est. Sed & Gallorum quorundam protervia stolidaque ambitio & vanitas unà retunditur, qui Francos è Galliis in Germaniam transgressos, cùm Merovæi sociorumq; & posterorum auspiciis Gallias subegissent, non novas sibi peperisse, sed avitas recuperâsse sedes comminiscuntur.

Porrò qui Francos à primâ origine gentem fuisse unam, corporeq; uno civili stetisse autumant, oppidò multùm fallun-

falluntur. Immanis hæc hallucina
eſt, quamplurimam iis omnibus, q
Francorum è primævâ conditione dec
cenda ſunt, caliginem, & ineluctabi
errores inducens. Nullo id prorſus a
tiquitatis condigno adminiculo, vel
riſimile quidem reddi poteſt. Priſci R
manorum ſcriptores unanimiter in a
potiùs omnia abeunt. Et tamen ii ſu
ex quibus quidquid in hâc quæſtione
lidi expectari poteſt, hauriendum e
Rerum enim Francicarum ſcriptores d
meſtici etiam primævi illi Romanis ha
paulò ſunt recentiores, tùm verò, ſi, q
ex ipſis ſaniores ſunt, penitiùs inſpi
antur, in neutram partem flectunt. P
tet certè quàm ſollicitè Gregorius T
ronenſis ſubactioni Galliarum è rer
Francicarum ſcriptoribus proximus,
calcem libri ſecundi, indagaverit, u
quamne regi uni Franci univerſi an
Chlodovæi tempora ſubfuerint, nec n
Et tamen non invênit, quod tutò de
niret. Hunibaldicæ autem fabulæ, q
bus nihil in omni hiſtoriâ putidius
perias, usq; adeò nullâ ſunt vetuſta
a

aut pretio, ut meritò ſuſpiceris, ejus, qui primus iis publicatis chartam commaculavit, Trithemii, quod jam diximus, partum eſſe. Apud cunctos igitur hodiè politioris hiſtoriæ ſectatores, nullo partium ſtudio præoccupatos receptum eſt, Francorum ſyſtema ab incunabulis ſocietatem fuiſſe plurium populorum, domi propriis ſingillatim legibus, propriâq; republicâ viventium, at ſocietate ſeu bellicâ tantùm, ſeu arctiori aliquâ connexorum. Crediderim bellicam fuiſſe, quæ tametſi nonnunquam in illud fœderum genus exundaverit, quod offenſivum noſtro uſu dicimus: ferè tamen intra defenſivi naturam ſe continuerit. Eſt enim alicubi unam Francorum partem reperire, cœteris quieſcentibus nunc Romanis militantem, nunc arma in eos ferentem. Sed & aliquando ſibimet adverſatos eſſe Francos deprehendimus. Facit etiam huc Alemannorum è proximo exemplum, pari ſocietate è diverſiſſimis gentibus coalitorum. Adeò enim hi non fuere unâ communi civitate connexi, ut Ammia-

nus Marcellinus, Chonodomarium, Serapionem ſive Agenarichum, Weſtralpum, Urium, Urſicinum, Suomarium, Hortarium, Gundomadum & Vadomarium, novem uno tempore reges totidem diſtinctis regnis inter eos præfuiſſe autor ſit, eorumque nonnullis etiam regnorum terminos, per diverſos regionum ſitûs trans Rhenum deſignet. Quorum aliis in Romanos hoſtiliter irrumpentibus, alii ſpectatores manebant, alii pacis inter belligerantes proxenetas agebant. Similis fuit & Saxonum compages, quam notum nunc eſt, Anglis, Vitis, Friſiis & ſpecialiter ſic nominatis Saxonibus diſtinctiſſimis inter ſe gentibus conſtitiſſe. Sed nec Oſtrogothorum, nec Viſigothorum gens initio una fuit, quos Gepidæ, Tervingi, Taiphali, Alani Germanici (erant enim, iiq; potiores hujus nominis etiam Sarmatici) Trutungi, Aſtringi, Peucini, Rugi, aliiq; diſtinguebant. Imò fuit ſeculum, quo omnes Germanicæ nationes, à Rheno & à Danubii fontibus, usq; ad oſtia, & Pontum Euxinum, ſex omnino ſyſtematibus,
Oſtro-

Ostrogothorum, Wisigothorum, Alemannorum, Thuringorum, Saxonum & Francorum absorbebantur, etsi gentes propè innumeræ essent. Ita igitur & cum Francis actum fuit, ut reges ante Chlodovæum plures simul apud se regnantes constanter numeraverint, tametsi *fortassis*, ut latitudine terrarum, sic numero Alemannicis inferiores. Indicio huic rei non illud solùm esse potest, quòd Tacito de Germanis sua ad posteros mandante, gentes, è quibus hoc systema deinde concrevit, diversis prorsus civitatibus adhuc describerentur, quas ante Chlodovæum Magnum in unam coaluisse, nec illius, nec secuti ævi scriptores meminere, nec tàm citò coalescere, Germanorum libertas tùm, & gentium ipsarum inter se dissidia patiebantur: verùm etiam, quòd regum ducumve uno tempore imperantium diversitas, gentium ipsarum diversitatem velut digito commonstret; quorum qui sua nomina ad nos transmisere, sunt Esatech & Genebaldus sub Imperatoribus Probo & Diocletiano, Ascaricus & Radagisus sub

Constantio & Constante, Marcomirus, Sunno & Genebaldus alius sub Theodosio I. Chlogio & Theodemirus sub Theodósio II. & Valentiniano III. scriptoribus fide dignis ab oblivione vindicati. Eôdem etiam pertinet Regalium Francicorum apud quosdam historicos plurali numero facta commemoratio. Deniq; etiam regum à Chlodovæo, quod postea referemus, trucidatorum multitudo id ipsum irrefragabiliter testatur, qui profectò, aut quorum genitores, nisi sub Francorum in Gallias ultimam irruptionem domi jam tum regna singuli peculiaria possedissent, quorum viribus Merovæi ductum secundaverant, prospici nil potest, cur Merovæus singulis in Galliâ totidem regna condi, ipse scilicet, quod adversarii volunt, rex omnium tulisset, maximè cùm ex ejus posteris non fuisse, in comperto sit. Commutatam hanc volunt systematicam cum civili societatem multi Gallicarum juxtà & Germanicarum rerum scrutatores anno seculi quinti vel quarto decimo, vel vicesimo; tùm scil. quando Pharamundo omnium

um Francorum regimen commissum sit. At nihil eo ferè incertius, ex omni antiquitate ad nos perlatum est. Romani enim Pharamundum novére nullum, nisi perperam eò referre velis, quòd in Prosperi Chronico, quod Eusebiano annexum, tenuis ejus notitia velut transluceat, quæ tamen ipsa, dubium quâ manu adjecta sit, ut taceam non in omnibus exemplaribus si rectè memini, reperiri. Ex Francis scriptoribus paulò antè nobis memoratus Gregorius Turonensis, & antiquitate, & judicio ac fide cœterorum facilè princeps, ejus ne nomen quidem prodidit. Quidquid sequens ævum de eo circumtulit, Epitomatori Gregoriano debetur, qui trecentis ferè post Pharamundum, si quis fuit, annis, indubie præter autoris, cui contrahendo operam dabat, mentem, hæcce chartæ impegit: *Tunc defuncto Sunnone & accepto consilio in unum primatum eorum, unum habere principem, petierunt consilium Marchomiro, ut regem unum haberent, sicut & cœteræ gentes. At ille dedit eis consilium, & elegerunt Faramun-*
 dum

dum filium ipsius Marchomiri, & levaverunt eum super se regem crinitum. At si modò ad eas, quæ hæc proximè antecesserunt fabulas, quas idem scriptor dedit, de bello Alanico, & tributo liberalitate Valentiniani Cæsaris remisso, & migratione à Tanai fluvio ad Rhenum, & Priamo atque Antenore Trojani sanguinis regibus, & quæ ejus generis alia sunt, oculi flectantur: dabit se obviam, quanti autor de antiquitatibus populi sermocinans faciendus sit, & patebit, Pharamundi historiolam commenti Trojani appendicem esse. Accedit, quòd *defuncto Sunnone* de rege eligendo consilium Francis captum esse asserat. *Defungi* autem cùm placidum mortis genus innuere videatur, & Sunno fratris Marcomiri vincula ulcisci cupiens fata sibi gladio suorum accelerârit: possit & hoc argumento esse, scriptorem in iis, quæ Chlogionis Gallicam expeditionem præcesserunt, admodum hospitem fuisse. *Si* hoc levius fortasse videatur: illud nescio quî conciliari possit, quòd à nece Sunnonis Pharamundum solio levatum affir-

met.

met. Occubuit enim Sunno ſeculo quarto necdum exacto. (a) Pharamundi autem electionem qui antiquiſſimam faciunt, ſeptendecim minimùm annis poſteriorem agnoſcunt. Labat igitur & hîc Epitomatoris fides. Quid verò, quòd etiam Marcomiri conſilium expetitum, & inde copia filii in regem eligendi facta ſit? Marcomirus enim, quàm ante, tàm poſt Sunnonis interitum, cùm iſthæc inter Francos agerentur, procul patriâ exul & in carcere languebat. Et ut ab illo regis creandi copiam ſibi fieri petierint, cujus in odium fratrem Sunnonem ſuſtulerant, quis credat? Superſunt in eam rem adhuc nobiles Claudiani verſûs:

Regia Romanus disquirit crimina carcer.
Marcomirus Sunnoq́ꝫ docent, quorum alter Hetruſcum
Pertulit exilium; cùm ſe promitteret alter
Exulis ultorem, cecidit mucrone ſuorum.

Patet igitur fabula, nec ei ſanandæ lex illa Salica, titulo quem fronte oſtentat,

Pharamundææ ſanctionis quidquam facit, quæ quod legis latorem attinet, eodem in vado hæret, totq; etiam aliàs implexa eſt modis, ut qui incertiſſima iſta ratione certâ definire quærat, nihilo ferè plus agat, quàm ut det operam, quâ cum ratione fruſtra ſit. Quamobrem etiam Pradius in hiſtoriâ Galliæ in hanc ſententiam totus concedit, ac Pharamundi regnum, commenti meri damnat. Quin ſi omnia Epitomatoris daremus, aliud tamen inde nihil legitimâ conſecutione expreſſeris, quàm illam quidem Francorum partem, ſive unâ tantùm gente, ſeu pluribus concretam, quæ Sunnonis ductum ſecuta fuerat, regi ſe ſubjeciſſe Pharamundo; cœteras juris alieni nequaquam factas. Patet hoc vel inde, quòd abrogatam Marcomiro inter ſuos poteſtatem, neq; hîc, neq; alibi usquam legere ſit. Nec ſanè etiam, qui filium conſtituere nutu ſuo regem poterat, ſe potiùs ſolio inferre neglexiſſet, inprimis ſi (quod utiq; oportebat, ut Pharamundus omnium Francorum rex eſſet) ſi inquam propriâ ſede ut filio ſuam pararet,

raret, abeundum fuiſſet. Marcomirianis igitur Francis cum Sunnonicorum conſilio nihil commune interceſſit, atq; adeo ſaltem duas inter Francos civitates inter ſe diverſas agnoſcere jam eſt. Ego autem, ut quod ſentio, in ſummam conferam, Pharamundum omnimodè non abnuo. Sed ne Marcomiri quidem filium fuiſſe inficior. Chlogionis quoque patrem ferre poſſum. At omnibus Francis imperâſſe ut credam, locupletiora poſtulo fidei documenta. Si quis conjecturis locus eſt, Iſalæ circumjectis Chamavis ſponte expetitum præfuiſſe exiſtimo. Marcomirum verò patrem Anſibariis ad Iſalæ fontes, & Luppiam usque in Chattos & Bructeros imperâſſe. Huic apud Anſibarios, (Pharamundo alibi jam regni adventitii potito) filiorum alterum, ſeu Merovæus noſter is fuerit, ſeu eodem nomine, noſtri pater, ſucceſſiſſe veriſimile duco. Præterea alterutri, vel utriq; diviſim adhæſiſſe etiam poſitos à tergo populos Saxonici juris, necdum fortaſſe tùm factos, Dulgibinos, Chattuarios aliosve arbitror. At qui ſupe-

riora Germaniæ Transrhenanæ inter Rhenum & Visurgim tenebant, Bructeros & Chattos, Mellobaudis, inde Edabechi ductu usos, persuasum mihi est, & huic vel proximè, vel interjecto alio subordinatum è Francorum regibus illum, cujus obitus schismati inter filios locum præbuerit, altero Attilæ, altero Romanorum auxiliis se committente. Quorum qui ætate major, ferre queo, Sigebertum Coloniensium deindè regem fuisse, atq; adeò in ista quidem tempora, pace Pharamundææ Monarchiæ, Francorum societatem in diversos sui juris populos distinctam perdurâsse omninò teneo. Quòd verò rerum Francicarum scriptores, à Chlogione, pars etiam à Pharamundo ad Chlodovæum ita persecuti videantur populi gesta, tanquam uno atque eodem in regno alter alterum excepisset: id partim ignorantiâ vetustatis & systematis inter Francos socialis, quodque crederent, Chlogionis irruptioni cum Merovæi pacifico transitu connexionem fuisse, partim verò ideò factum esse crediderim, quòd ad Merovæum ejusq;

ejusq; posteros idem ille ductus bellicus, qui Chlogionis fuerat, pervenerit; qui, quòd deinde in regium imperium abiverit, à primis illis scriptoribus, jam tum à Pharamundi ac Chlogionis ævo ejusmodi imperium fuisse creditus sit.

Fines Francorum primitivos circumscripsere à meridie Lona amnis, ab Oriente & Occidente Visurgis ac Rhenus; Septentrionem Oceanus clausit. Nonnemini tamen inferiorem Visurgim in Chaucos usque majores & Cheruscos Transwiseranos excessisse videntur. Quidquid sit, ea facies diu non constitit. Jam tùm enim seculo quarto vix dimidiato Saxones Chauciam non modò ad utramq; Visurgis ripam, sed & Frisiam tenuere, oram videlicet maritimam, ab Albi ad Rheni ostia, usq; adeò omnem, ut etiam Francorum Saliorum partem per ea loca colentem, sedibus avitis emoverint. Transiere tùm seu vi, seu spontaneis fœderibus à Francis ad Saxones, Chauci majores, minores, & Frisiorum utrumq; genus, & supra Chaucos minores, quod putem, cœteræ etiam ad-

verſo Viſurgi, usq; in Chattorum confinia nationes. Deſierunt etiam tunc Franci maritimis expeditionibus celebrari, ſuccenturiatis in eam gloriam Saxonibus. Quâ ratione tum quidem Francis præter Haſſiam inferiorem & Weſterwaldiam, & Montenſem ducatum, & Cliviæ Geldriæq; Transrhenana, & Tranſiſalaniam Zutphaniamque, & Weſtphaliæ hodiernæ partes occidentales, nihil reliqui fuiſſe conſequitur. Ex quibus, qui loca inferiora tenebant, Chamavorum, & Anſibariorum (quòd hi Romanis ex adverſâ ripâ vicini notiſſimiq; eſſent, aliiq; à tergo Franci, quoties Gallias communi conſilio incurrerent, horum fortaſſe ductu uterentur) nomenclaturâ diſtincti erant, Saliorum quoq; cognomen, ab Iſalâ flumine ſortiti videntur. Qui verò oppoſitum Ubiis littus accolebant, Montenſis ducatûs & Weſterwaldiæ coloni, Bructeri erant, & eorum à tergo usq; ad Viſurgim ſuperiorem Chatti. At Franci cladem à Saxonibus inflictam, aliunde, neſcio an non cum fœnore, annis non adeò

adeò multis exactis compenſârunt. Macrianus enim Alemannorum rex ſub Gratiani & Theodoſii imperio, præter paternum, cui præerat regnum, trium etiam regum ſociorum ſuorum ditiones in ſe unum collegerat, Hortarii videl. & Suomarii, (quorum uterque è regione Moguntiæ, alter Mœni dextrum latus, alter ſiniſtrum tenuerat) tùm ab eorum tergo Hariobaudi fratris, unde à Rheno in Nariſcos usq;, quibus Burgundi tùm contermini degebant, latè dominabatur. His autem ferox viribus Macrianus, Melobaudem Francorum ſuperiorum regem ducemve ſibi conterminum, ſeculo quarto ad finem vergente, (credo, quòd is paulò antè Romanorum ſtipendiarius, ſocius, atq; exercitûs dux, quadraginta quinq; Alemannorum millia, haud procul Argentorato, non niſi quinque millibus cladi fugâ ſubtractis protriviſſet) laceſſere auſus eſt, ſecundo primùm marte, dein verſâ aleâ inter anguſtias montium & impedita ſylvarum deprehenſus, ac cum omnibus copiis deletus. Silent hîc hiſtoriæ, quæ cladem ſecuta ſint.

Verùm Alemannorum nomen exinde ad Rheni ripam Moguntiæ adverſam audiri deſiit. Franci contrà ſeculi quinti initio Wandalis atq; Alanis irruptionē inGalliã molientibus, quippe Romanorum ſocii, iisdem in locis ac in conſpectu Moguntiæ diu ſe ac fortiter objecerunt, nec niſi ſtrage acceptâ tranſitum (quem Moguntiæ excidium, Wormatiæq; obſidium S.Hieronymo deplorata exceperunt) mediâ hyeme liberum dimittere coacti ſunt. Neq; pòſt multò etiam Bructerorum nomen eatenus infra Lonam depreſſum ad Nicrum amnem, & è regione Vangionum emerſit. Imò Auſonius poëta conſulq; Romanus, Macriani infortunio, Francorumque victoriæ planè coævus, tùm primùm, ac ſi rectè computamus, anno Macriani cladem proximè ſecuto, *Franciam Suevis mixtam* cecinit, verbis tantùm non clariſſimis indicans, tùm primùm Francorum dominium, Suevorum ſeu Alemannorum parti inductum, indeque Franciam Suevis mixtam ſurrexiſſe, ubi paulò ante Suevia & Alemannia ſimplex fuerat. Ex quibus

quibus teſtimoniis tutò concludendum videtur, Mellobaudem Francorum Bructerorum, forſan & Chattorum regem, aut horum certè ſocium belliq; ducem, Macriani à ſe internecione deleti regnum omne, victoriæ fructum tuliſſe. Et tum quidem fines Francorum per pagum Rhenenſem, ſeu Rhinicoviam, & Haſſiam ſuperiorem ac Wetteraviam, & Stradamontanam ad Nicrum usq;, quæ quondam Rhinicovia ſuperior, & Teutonico nomine Obrinca illa veterum fuiſſe videtur, perq; univerſam hodiernam Franconiam promotos, eâdem fide tenendum videtur. Dubium proinde eſſe nullum poteſt, Franconiæ modernæ primitus conditæ gloriam Mellobaudi ejusq; adverſùs Macrianum & Alemannos victoriæ deberi.

Nobilitavit iſta rerum haud contemnenda converſio annum 378. quam deinde per intervalla cædes Mellobaudis (*anno* 383.) ac direptio Galliæ à Francis, Marcomiri & Sunnonis, & Genebaldi ductu intentata, (*anno* 387.) eorumque à Nañio & Quintino accepta clades, Quin-

tini viciſſim in Germaniam transgreſſi occidio, tùm iterum Arbogaſtis irruptio in eandem (*an.* 389.) deinde Marcomiri Galliam denuò infeſtantis, quam retulimus, captivitas & exilium, (*an* 397.) & Sunnonis cædes, ſeculo quarto jam expirante ſecutæ ſunt. Et hæc quidem poſtrema, ſimul & Rhenus à Quintino & Arbogaſte infra Coloniam Agrippinam trajectus, demonſtrant, iſthæc quæ ab anno 387. per decennium inde contigerunt, ad Francos inferiores ſpectâſſe. Quinti verò ſeculi initia excepit Wandalorum in Gallias jam enarratus impetus, à Francis (Edabecho ſi bene conjicio rege aut duce) æſtatem integram ad anni finem usq; cohibitus (*an.*406.) tùm bellum inter Francos Wandalosq; & horum ſocios in Gallias translatum (*anno* 408. *& ſeqq.*) ultioq; ab hoſte, tandem in Hiſpaniam rejecto multimodè ſumpta. Inter quæ Treviri ab iisdem Francis, in Romanorum poteſtatem recepti (*anno* 411.) mox verſis auſpiciis hoſtiliter juxta alias civitates direpti. Franci inde Galliæ, quas Wandalis extortas retine-

re

re parabant, civitatibus à Castino exuti sunt. (*an.* 414.) Isthæc autem, quæ seculum quintum tulit, existimaverim omnia Francis superioribus tribuenda, iisdem videl. qui bellum pro Romanis adversùs Wandalos suâ in ripâ auspicati, in Galliâ prosecuti fuerant. His deinde anno eodem 414. à quibusdam subjicitur apud inferiores Pharamundus, solo ferè nomine notus. In Galliâ sanè vestigium sui reliquit nullum. Hunc circa annum 425. diem suum obiisse plerique tenent. Nam Chlogio seu filius ejus, seu aliunde lectus successor, Dispargo, sive Duysburgo in finibus Thoringorum (quid si Tencterorum?) Romanorum tum fortè reliquo adhuc in Transrhenanis castello, eorum ex numero, quæ Valentinianus Major Rheno muniendo ex utraque ripâ restauraverat, per stratagema potitur, sedemq; regni sui eò transfert. Dein Rheno superato per Tungros sylvamq; Arduennam ad Somonam usq; flumen penetrat. Verùm anno 428. ab Aëtio Romano duce & Majoriano ingenti clade mulctatus vestigia relegere co-
gitur

gitur. Quam belli diversam aleam
donius Apollinaris eleganti carmine p
secutus est. Loquuntur hæc om
Chlogionem Francis inferioribus,
est, Chamavis & Ansibariis, sive Sal
cœterisq; ab horum tergo Francis,
regem, seu belli ducem, sive etiam i
regem, hinc belli ducem, fuisse. Su
riores enim, Bructeros nempe Chatto
huic expeditioni immixtos, nec mo
menta vetera indicant, neq; aliunde c
ligere est.

Non possum hîc ex transitu non
tare Gallorum quorundam putidum co
mentum & vanitatem, quâ ut nati
vappam aliquam honoris concilie
Pharamundum, & Chlogionem, & M
rovæum Saliorum illi coloniæ, quæ
dum antea in Galliâ sedem fixerat Ro
nis servitium debens, reges expetit
ac serie non interruptâ ad Chlodovæ
usq; & posteros ejus præfuisse asseru
Ista enim inde retunduntur, quòd, fic
dem autoris sui, qui Gregorianus E
tomator est, fidem, quâ solâ Pharam
dus stat, salvam velint, inficias ire
quea

queant, Sunnoni eum ſubleƈtum eſſe regem; hunc verò diſertè conſtet trans Rhenum imperâſſe. Quin etiam inde ea ſententia erroris convincitur, quòd priusquam in Gallias conceſſiſſet Chlogio, Transrhenanum Romanorum limitem ſui juris faciendum, inde verò exploratores in Gallias mittendos, ac tandem Rhenum cum exercitu trajiciendum duxerit.

Quidquid ejus ſit, malè ſuâ expeditione Alemannos & Burgundos, & Viſigothos, qui jam Romano in ſolo, & in ipſâ etiam Galliâ conſederant, æmulatus cum Francis ſuis Chlogio adverſæ fortunæ, juxta plerosq; annis haud paucis ſuperſtes, clade necdum reparatâ ſucceſſori ſedes in Galliâ melioribus avibus quærendas morte dimiſit. Is Merovæus fuit, ſeu in regnum, ſeu quod vero propiùs, cùm alibi jam pridem regnaret, in belli modò duƈtum ſubrogatus, Chlogionis ſobole, nec regno paterno exaƈtâ, nec quod multi volunt, de eo litibus petitâ, ſed paternis viribus, ſeu potiùs jam ſuis, Merovæi ſub duƈtu auſpiciisque militante

tante, & ſedibus in Galliâ figendis co-operante.

Cùm porrò mox ab Hunno AttilâRomano Imperio excidium immineret, Merovæo ſociisq; ejus quod anteceſſores armis deperierant, conventio amica, ut veriſimillimum eſt, ſponte in manus contulit. Ut enim inundationi ab univerſâ propemodùm ſeptentrionali barbarie intentatæ Valentinianus III. Imperator Rempublicam ſubduceret, Aëtii conſilio barbaros alios barbaris opponere, proindeq; Viſigothos nec non Burgundionum, Alemannorum, Saxonum, Francorumq; auxilia Romanis addere, vimq; Attilæ in Galliis expectare decrevit. Francos quidem ut ſibi adjungeret ſedibus in Belgicâ ſecundâ oblatis allexiſſe eousq; tenebo, dum contrarium luculenter exhibitum fuerit. Jam enim in utroq; Imperio propè in morem verterat, barbaros in ſolo Romano collocare. Nec alienum à veriſimili eſt, eodem pacto Saxonibus Britanniæ, Burgundis & Alemannis Vindeliciæ, Helvetiæ, Sequanorum, Germaniæq; partes tùm demum

quietè

quietè dimissas. Tùm certè Merovæum insigni cum exercitu Francorum Romanis non mùltò antè hostium pro iis stetisse, Galliarumq; partem insedisse, historiæ velut ex improviso ostentant. Sed & Saxones oram maritimam defendendam susceperant, auxiliis etiam, quod aliqui volunt, ad Aëtii castra submissis. Alemannorum verò & Burgundionum pars ad Rhenum superiorem primis Attilæ nisibus & trajectioni se objicit, & obteritur. Ejus tamen vim exinde in utramque Germaniam cisrhenanam crudeliter exercitam, jamq; etiam in ipsa Galliæ viscera sævientem, Catalaunici tandem campi conflictu atroci & in omne ævum memorabili, victoriâ penès Romanos stante fregerunt. Communis historicorum sententia fert, nixa haud dubiè vulgi rumoribus, Attilæ reliquias Aëtii conniventiâ & astu, ut barbaros Romanorum socios Romano è solo amoliretur & disjungeret, internecioni exemptas. At ritè quæ rem gestam circumstant perpendenti mihi, ab his ipsis barbaricis auxiliis eò adactus videtur Aëtius, id nimirum

mirum ſpectantibus, ut Attila ſuperſtite viribusque reſumptis, alibi quàm in Galliâ, (quam ſibi prædam deputabant auxiliatores iſti,) Romanis incumbente, ſedes ipſi ſuas, in Galliis ſtabilirent. Et reſpondit eventus. Nam & Attilas reſtaurato mox exercitu Romanis alibi, & in ipsâ Italiâ gravis eſſe perrexit: & Germanicæ gentes incrementa ſedium per Gallias deſtinata impigrè & ex voto tulerunt.

Tria inter hæc, quæ ad propoſitum noſtrum apprimè faciunt, notari velim. Primùm ſedes ab Aëtio Francis Romano in ſolo deſignatas, aut etiam poſtmodum ultrà, quàm amica deſignatio tulerat, vi quæſitas, nequaquam uni Merovæo in ſortem veniſſe, ſed cum cœteris Francorum regibus, ducibusve, agnatis cognatisve magnam fortè partem ſuis, ejus certè ductu militantibus, ſeu liberi Chlogionis illi, ſeu & alii fuerint, æquis pro auxiliorum ratione portionibus diviſas, unde dein Cameracenſes illi, & Terroannenſes, & Cenomannorum, & alii Francorum reges à Chlodovæo Magno,

gno, qui avitum intereà regnum insigniter auxerat, è medio sublati processerunt. Nec enim aliud succurrit, unde in reges Francorum per Gallias erigere se isti, ac tàm citò potuerint. Alterum est: victoribus tàm auspicatâ expeditione novo per Gallias agro auctis, veteres & originarias inter Rhenum atq; Visurgim inferiorem sedes, scil. quatenus eâ tempestate Saxonum accessio factæ necdum erant, nequaquam, quod Galli transferendæ in se solos Francorum gloriæ vellent, universali populorum emigratione evacuatas atq; dimissas, sed partim in posteros æternâ possessione ad hunc usq; diem, ut sunt Clivia & Geldria Transrhenana, & Zutphania, & Transisalania, & quidquid hodieque in illis regionibus supra Frisiam Westphalia non est, transmissas, partim seculo demum sexto à filiis Chlodovæi Procopio teste, Saxonum parti ex Angliâ reduci sub tributo (unde etiam ejus gentis parata Francis, & hactenus, ni fallor, incassum indagata primæva subjectio, accersenda mihi videtur) concessas esse.

Mo-

Medio enim tempore, quod necesse erat, per supplementa gentilibus suis in Galliâ militantibus missa, partem earum viris exhaustam indubium est, quam crediderim steriliora illa & aspera, Lipsio scil. avorum memoriâ encomiis ex merito celebrata loca, Sawerlandiam fortè cum vicinis fuisse, quorum incolæ soli sui inclementiam eò lubentiùs cum ubere cis Rhenum gleba commutaverant. Tertium est: minimè omnium Francicam universam societatem & complexionem sub Attilana tempestate cum Romanis, sed oppidò magnam partem, Bructeros inquam & Chattos, & eorum propaginem ad Nicrum usq; & Nariscos cum Attilâ stetisse; quod ipsum novo iterum argumento est, quàm falsum sit, Franciam omnem uni tùm regi reipublicæve seu civitati mancipatam fuisse. Stabilitur ista non omnibus notata veritas inprimis Sidonii Apollinaris viri coævi, & in republ. exercitati autoritate, qui Francos & nominatim Bructeros Nicri accolas sociis Attilæ annumerat his versibus:

Subito

- - - subito jam rupta tumultu
Barbaries totas in se confuderat Arctos.
Gallia, pugnacem Rugum comitante Gelono,
Gepida trux sequitur; Scotum Burgundio cogit,
Chunus, Bellonothus, Neurus, Bastarna, Thoringus,
BRUCTERUS, *ulvosâ vel quem Nicer abluit undâ,*
Prorumpit FRANCUS. *Cecidit citò secta bipenni*
Hercynia in lintres, & Rhenum texuit alvo.

Accedit Prisci Pannitis testimonium, qui Pradio in historiâ Galliæ de Merovæo agenti allegatur, & posteris tradidit, rege quodam Francorum mortuo inter filios de regno dissidium obortum, quorum natu major Attilæ, Gallias vastâ mente jam versantis præsidium sollicitaverit, juniore intereà exule, Romæque Valentiniani Augusti implorante auxilia. Militavit haud dubiè major ille stipatus universis viribus suis, sub Attilæ signis. Loquitur etiam res ipsa, & bel-

& belli ſtatûsq; ac ſitûs terrarum ratio, cum Attilâ ſuperiores Francos mage, quàm inferiores feciſſe, quòd illorum per ſolum exercitus ille immenſus pro parte ductandus eſſet, excidium reluctantibus ubiq; circumferens. Tum deniq; quòd eorundem à tergo Thoringi Attilæ ſocii etiam invitos ante ſe egiſſent, facili prædæ futuros, niſi eundem cum Attilâ & ſociis adverſùs Romanos funem traxiſſent. Hæc ejusque generis complura, regni Francorum per Germaniam Galliamq; primordiis, & ipſius Imperii noſtri Germanici originibus cognoſcendis apprimè facientia, alibi, ſi tempora ſiverint, enucleatiora dabimus.

Quod huc propiùs pertinet, nunc perſequamur. Attila Galliis exacto & anno ſequente, qui vel 451. vel 452. erat, per Noricum & Alpes captâ Aquilejâ in ipſam Italiam irrumpente, Romæq; rerum capiti imminente, atq; adeò viribus Romanis aliovorſum tractis, maximè autem Aëtio dein crudeliter trucidato, Valentiniano III. Cæſare nefariè mactato, Wandalis ex Africâ transgreſſis Romamq;

amq; diripientibus, mutatis crebrò Im-
ɛratoribus, ac ſuorum plerumq; prodi-
one laborantibus, Imperio tandem Oc-
ıdentali funditus everſo, & nunc Oſtro-
othis Herulisq;, nunc iterum Oſtrogo-
ıis colluctante, auxiliatores paulò antè
uos diximus Romanorum, Alemanni,
urgundiones, Viſigothi & Franci per
alliam, quin pars etiam per Hiſpaniam,
:bus ſuis, quod quæſiverant, firmandis
naviter operam dederunt. Cœteros
iiſſos facio. Franci autem inferiores
um Merovæo duce inter Moſam & Oce-
num usq; ad Somonam, pleraq; ſui ju-
is facerent, ſuperiores Rheno transmis-
o Treviros capiunt, captam ſolâ tum
uidem direptione contenti mox iterum
nittunt. Merovæus expeditionibus ſuis
nno 455. aut ſequente immoritur, Chil-
ericum filium regni fortunæq; relin-
uens ſucceſſorem. Inter hæc Avitus
Romanorum per Galliam militum magi-
ter & Arverniæ præfectus, annitenti-
us Viſigothis Imperator, à Gallis pri-
nùm, deinde & à Senatu populoque
Romano ſalutatur. Ejus initia Sidonius
E Apol-

Apollinaris panegyrico prosecutus est, ubi hæc leguntur:

Francus Germanum primum, Belgamq; secundum
Sternebat, Rhenumq; ferox Alemanne bibebas
Romanis ripis &c.

Status scil. Galliarum ejusmodi tunc se dabat, ut Narbonensi, partim & Aquitanicæ dominarentur Visigothi, à Rhodano usque in Hispaniæ fines; Alemanni Helvetiam Germaniæq; primæ partem insignem, Burgundi Sequanos Heduosque, & Rhodani altiora, cum Alpium parte, Franci inferiores sive Salici Belgicæ secundæ partem potiorem tenerent, Germania prima, quà Romana adhuc erat, à Francis superioribus incursaretur, ejusq; ut & Belgicæ utriusq; reliqua, tùm quidquid infra Burgundos, Sequanam inter Ligerimque telluris intercedebat, & pars Aquitaniæ, & Arvernia, prætereaque ad Mediterraneum Provincia Massiliensis, Romani juris essent. Hisce tutandis ad Occidentem Avitus Ecdicium Visigothis, ad Orientem Ægidium Francis

cis magiſtros militum oppoſuit. Quorum nullâ curâ Chilpericus Avito fortè cum exercitûs robore apud Italos agente, Pariſios capit. Inde petulantiâ vitæ exilium octenne ſibi accerſit, quo Franci, qui ipſius erant, Ægidio quem diximus Romano ſe commiſere. Reverſus autem anno 469. Ægidium regno pulſum variè frangit. Quæ turbæ ſuperioribus Francis optatæ occaſioni fuerunt, ſe quoque ſtabiliter Galliis inferendi. Quare circa annum 470. factâ impreſſione Coloniam Agrippinam hactenus Romanam capiunt, regniq; ſedem ſtatuunt, Ægidio, quem ibi deprehenſum cupiebant fugâ vix erepto. Cedunt continuato impetu & Treviri; ac tùm quidem Francia etiam inter Moſam altiorem Rhenumq; uſq; ad Moſellam, & ſi conjecturis ſtare licet, etiam Moguntiam uſq; & in Vangiones, infra tamen Alemannos & Burgundos protenſa. Et fuiſſe hanc expeditionem ſuperiorum Francorum, qui poſt Attilæ receptum cum cœteris Francis facilè in gratiam redierant, rex Colonienſium Sigebertus

 demon-

demonstrat, quem eidem aut ducem jam, aut certè militem interfuisse, regnumq; ejus per ea cis Rhenum loca, simulque trans Rhenum per Westerwaldios Chattosq;, superiorum Francorum gentes extensum, & vetuli cognomen, quod sub extrema Chlodovæi tulit, indicio est, quippe frustraneum, nisi quo hæc contigerunt ævo, post Chilpericum videl. jam suis redditum, ephœbis excessisset. Cœterùm ægras tantisque cladibus accisas Romanorum in Galliis reliquias tuendi, post Ægidium fato mox functum, Syagrius filius copiam nactus est. Quo tamen velut inspectante Chilpericus Andegavum capit, finesq; suos ad Ligerim usq; promovet, regnique annis viginti quatuor expletis diem extremum claudit.

Primum Chlodovæi successoris opus fuit, quidquid Romani nominis in Galliâ supererat, unà cum Syagrio tollere, Francisq; addicere. Inde Thuringos tributa pendere coëgit. Burgundos tractu, qui nunc ejus nominis ducatus est, exuit; Alemannos Francis Ripuariis sociis suis graviter incumbentes, Francorum omnium

um viribus fretus, ipse fœderis dux, pro Galliæ imperio & universa fortuna decernens, internecione delevit, & quidquid eorum saltem cis Rhenum fuerat, subegit. Mox Christo nomen professus, Visigothos jam in Hispaniâ stabiliter nidulatos Galliâ ferè omni exuit, limitibus regni alicubi ad Pyrenæos propagatis. Tandem etiam Britones Aremoricos fregit ac subdidit. Extrema vitæ regniq; insigni crudelitate fœdavit, quando reges Francorum circumquàq; omnes, Ripuariorum, Trevirensium, Cameracensium, Terroannensium, Cenomannorum pluresq; alios, agnatos, cognatosve suos, quà dolo & insidiis, quà vi apertâ, manu quin etiam propriâ, è medio sustulit omnes, populosq;, ut suo se regno addicerent, induxit, proindeq; sociale hactenus Francorum systema, sub unius regiam potestatem princeps contraxit. Et fuisset aliquod saltem operæ tàm sanguinariæ pretium, si quo coalita consilio Monarchia, eodem & continuata fuisset. At republicâ mox pro numero filiorum in tetrarchiam diditâ,

rediit prior ſyſtematis facies, priſtinaq; incommodi ratio, exemplo etiam in poſteros valituro, quo univerſa Francorum res non ſemel in caſum data eſt. Ad medium tamen ſexti ſeculi Chlodovæi fortuna etiam in liberos atq; nepotes adhuc durâſſe viſa eſt. Nam & Burgundia omnis eorum animis, & Thuringia à Salâ fluvio usq; in Chaucos ceſſit, & turbatis Oſtrogothorum in Italiâ rebus, Provincia Galliæ, & trans Rhenum Suevia, Bavariaq;, quà per Alpes, quà per Campeſtria usq; ad Anaſum amnem, & Pannoniæ Italiæq; fines producta erat, pactis (ita credibilius eſt) Francici imperii acceſſio factæ ſunt. Hæc de origine & incrementis Francorum, & ſyſtemate ſociali in Monarchiam verſo præfari viſum fuit, quò ſuſceptæ diſceptationi lux aliqua accederet. Cœtera enim ad rem eorum publicam ſpectantia, ſi quæ ſint cauſæ, in quâ verſamur, lumen pariter ſubminiſtrare fortaſſis idonea, in progreſſu demum, prout ſe quodque ingeſſerit, perſtringere ſatius fuerit.

(a) Vid.

(a) *Vid. de his Vorburgius demonstrat. Histor. ad ann.* 396.

VI.

Sigebertus, Francorum Superiorum Transrhenensium & Ripuariorum rex, Merovæi posteritate excluditur.

NUnc ut in ipsam disceptationem provehamur, dispiciendum adhuc est, quâ probationis lege cum Pradio agendum sit. Eam verò ipse sibi peropportunè tulit, quando sub finem discursûs procemialis, (a) quo diversas autorum de originibus Capetinorum opiniones, recensuerat pariter atq; censuerat, ut magno earum, nequaquam è re suâ facientium numero per compendium se liberaret, unâ sententiâ, meras conjecturas, verisimilitudines & ratiocinationes quascunq; à quæstionibus facti, nominatim verò, quarum ibi tractatio erat, à genealogicis eliminavit. Rectissimè! modò ne ille ipse legislator sanctionis

ſuæ per omnia ferè primarius & nocentiſſimus prævaricator exiret. Toto enim opere ſuo, & in rerum maximè cardinibus, per conjecturas meras ipſe progreditur & veriſimilitudines. Quòd ſi ergo iniquum ſemper proindéq; nec recipiendum eſt, in qualicunq; facti diſcuſſione conjecturis & ratiocinationibus meris niti: piaculum profectò omninò erit, in cauſâ, ad cujus axem quies & ſalus Europæ Chriſtianæ volvitur, id committere. Pradii enim, quod ſæpe diximus, intimum conſilium eſt, Capetinos Merovingiis, jura Merovingiorum Capetinis vindicare, indeq; procuſis titulis per omnem Galliæ viciniam, quod ſine terribili motu & Europæ totius convulſione ac clade fieri nequit, octingentorum & quod excedit annorum poſſeſſiones concutere, arma, vaſtitatem, atq; exitium ubiq; circumferre. Et tamen operæ tàm honeſtæ ſcil. obtentûs ut paret, & fucos, totus per conjecturas annititur. Hanc confeſſionem vel invito ubiq; extorquebimus. Nobis econtrà, qui in hac cauſâ pro reis ſumus, quasvis conjecturas &

præ-

præsumptiones ejus calumniis enervandis idoneas esse, ac præterea communem reis omnibus favorem militare decet, ut ubi actor intentionem è lege non probaverit, lite soluti exeamus. Quoties igitur Pradius in lite momenti, ut hæc nostra est, sanè atrocissimi, per testimonia veterum evidentissima non procedit, sed vel incerta per se aut ambigua, aut verisimilia prætendit, vel suis tantùm ratiunculis prosequitur: ex lege ipse suâ non minùs ac communi hominum jure & naturali æquitate causâ cecidit. Id verò Sigebertum Ripuariorum regem Merovæo filium supponere quando satagit, mox à limine experitur.

Istum enim ut cum posteritate pariter supposititiâ à Merovæo Chilperici patre Chlodovæi M. avo deducat, Priscum Pannitem illius ævi scriptorem advocat, asserentem, anno 449. Francorum regem vitâ decessisse, superstitibus filiis duobus, quorum qui natu major, ut adversùs minorem regno patrio ercìscundo instantem præsidia pararet, Attilam, qui verò minor Romanos sollicitaverit, quem

Priſcus viſum ſibi, Romanisque capilli promiſſi ac per humeros fluitantis albedine notatum addidit. Ex his igitur, quem duarum prolium patrem vitâ functum Pannites memorat, Pradius Merovæum fuiſſe ſtatuit, eidemque pro filio natu majore Attilæ ſectatore, illum de quo res eſt, Sigebertum, pro natu minore autem Romanorum ſtudioſo, Chilpericum Merovæi in Galliâ ſucceſſorem venditat. Hunc pergit ediſſerere in prælio adverſùs Attilam quindecim annorum adoleſcentulum pro Romanis ſtetiſſe, & mox poſt victoriam regnare exorſum, annoq; proximè inſecuto, quem 451. facit, ob libidines à popularibus pulſum; Sigebertum verò Francis Colonienſibus ac Ripuariis regem obtigiſſe.

Quòd ſi nunc Pradium aſſertionum ſuarum rationem poſtulemus, illuc unicè recurrat neceſſe eſt, ut Francis omnibus, non niſi ſolum unum illo ævo præfuiſſe regem pertendat, illum nempe, cujus deceſſum Priſcus ad annum 449. retulit. Citra hoc enim ſi ſit, pluresque tempore eodem adhuc tùm in Fran-

cis

cis reges fuisse numeratos si concedat: tota illationis moles in fumum abit. Nec enim Priscus, quem duorum filiorum patrem, annoque 449. decessisse scripsit, vel ipsius, vel cui præfuit, populi nomine, vel regionis situ, vel aliunde notum, noscibilemve ad posteros transmisit. Quamobrem stante inter Francos regnantium pluralitate temerarium atq; insanum prorsus fuerit, quæ Priscus de aliquo ex pluribus, eoq; per ipsum quidem incerto nobisq; ignoto refert, uni post tot demum secula, per nomen resq; gestas determinato tribuere, eumque Merovæum facere. Ast è converso, si demus eâ tempestate unum solum rebus Francorum intendisse: facilis operæ Pradio fuerit, quem Priscus describit, Merovæum fuisse ut evincat. Nam & regnâsse hunc per ea tempora, & eâ jam ætate fuisse, ut pro adolescentulo defunctiq; filio haberi nequeat, aliunde verisimile sit. Eâdem porrò facilitate, quin etiam necessitate tunc evincet Pradius, filiorum Merovæi alterum Sigebertum fuisse, alterum Chilpericum

Nam & Chilpericum & Sigebertum per idem ferè tempus, & poſt Merovæi fata, inter Francos regnâſſe, ætate haud multùm diſpares, ex hiſtoriis colligimus; unde iſtâ quidem ratione Merovæo progenitos, certò ſatis prodiret.

Verùm enim verò, quàm iſta omnia puerilia ſint, quisquis tantilli judicii & diligentiæ facilè perſpiciet. Francis enim ab ipſis incunabulis diſtinctam in diverſas ſui juris gentes, præ unâ civili placuiſſe ſocietatem, nec ante Chlodovæum ſub unum regimen contractos fuiſſe, ſuperiore capite oſtendimus. Pharamundæam quidem etiam Monarchiam Pradio ut ſubluderemus, cuicunque id depereunti, ad fabulas relegare indulſimus. At non eò minus ad eundem probationis onus revertitur, receptum Francis univerſis ſaltem ſub Chlogione vel Merovæo fuiſſe unius regimen, ut petitæ ex Priſco argumentationi ſuum robur conſtet. Verùm iſto ſe onere nusquam expedierit. Hinc quò labore fruſtraneo libentiùs ſuperſedeat, teſtibus duobus irrefragabilibus contrarium è veſtigio,

ſtigio, paucis modò ex ſuperiore capite huc repetitis, dilucidè iterum manifeſtabo. Nam ſub Chlogione viguiſſe adhuc polybaſiliam inter Francos, Gregorius agnovit ſcripſitq; (b) qui ex Faſtis Conſularibus Theodemerem regem Francorum, Richimeris filium, cum Aſcilâ matre gladio interfectum tradit. At eodem tempore unà inter Francos regnâſſe Chlogionem, idem extemplo ſubdit. Velle autem hunc ſcriptorem erroris atque ignorantiæ hoc loco arguere, ſummùm ſeſqui ſeculo poſt ea tempora ſcribentem, idque nunc demum, hoc eſt, mille centumq; totis annis ſeriùs, temerarii prorſus & inſolentis ingenii foret, niſi argumenta clariſſima audaciam ſtiparent, qualia hîc nulla in medium prodeunt. Imò Gregorio etiam ſilente, anno tamen 440. quo Theodemerem cecidiſſe ex Faſtis eruimus, Chlogionem adhuc in vivis fuiſſe atq; regnâſſe hiſtoricâ traditione docemur. Quin etiam licet Pradio diverſum per inſignem impudentiam ſentienti, Chlogioni in vitæ terminum, annum 439. perperam largi-

 remur:

renıur: Merovæum tamen ei ſine intermedio ſucceſſorem, vel in regno vel in belli ductu, & ipſe, & alii omnes agnoſcunt, ut ſaltem cum iſthoc Theodemerem regnâſſe, adeoq; vel ſic plures numero reges Francornm adhuc ſuperfuiſſe, conſequatur. Ita verò rem non ſub Chlogione tantùm, ſed & ſub Merovæo prorſus ſe habuiſſe, Pradio, qui teſtium alter eſt, opitulante porrò diſcimus. Fatetur enim in eâ, quam edidit regni Gallici hiſtoriâ, Merovæo duos tantùm fuiſſe filios, idq; neceſſariò, ſi ſibi conſtare velit. Eodem enim numero etiam Pannites defuncti ſui liberos circumſcribit. Eos verò deſignat Sigebertum, & Chilpericum. Conſtat porrò Chilperico unum Chlodovæum, Sigeberto unum itidem Chlodericum fuiſſe filios. Aſt cùm Chlodovæo rerum potiente magno numero alios ſuiſſe Francorum reges, quos Monarchiæ condendæ crudeliter immolatos recenſuimus, & ipſe ibidem ſimiliter agnoſcat, nec aliter poſſit, & priſci autores ad nos unanimiter tranſmiſerint: Vellem doceret Pradius, unde iſti,

nisi

nisi ex polybasilia & tum, & pridem antea inter Francos obtinente prodierint, nisi fortasse fungorum in morem unâ nocte protuberâsse velit. Nam Merovæo non fuisse genitos, cujus duos tantùm filios ipse agnoscit Pradius, per se patet. Sed nec Sigeberto natos, non inde modò, quôd unius filii patrem nôrimus, verùm etiam hunc in modum deprehenditur, quòd eo vivo adhuc & regnante, ipsorum quoq; jam alibi per Gallias, regno quisq; suo præfuerit. Pariter nec Chilperici non nisi unicâ itidem prole, masculâ fœcundi posteros fuisse arguit, quòd alioqui Chlodovæus non propinquos aut parentes, sed fratres omninò suos sustulisse Gregorio dictus fuisset. Clarissimè itaq; consequitur, istis tanto numero Francorum regibus, alio quàm Merovæo avo opus esse, proindeq; plures uno reges, & ejus & Chlogionis ætate diversis Francorum populis imperâsse. His verò ut necesse est datis, Sigebertum nihilominus nullo prorsus congruo veteri documento, sed quia rebus Capetinorum ita expedire videtur, Merovæo filium

filium certâ ſententiâ addicere, qui tot aliis naſci potuit, ſi conjectura eaq; meriſſima & incertiſſima non eſt, nulla unquam uſpiam conjectura erit.

Nec eſt ut Pradius, quò ſe hinc extricet Romani exulis laudatam Priſco cæſariem, Merovingiæ gentis ſymbolum ſubſidio vocet, quouſque hunc habitum Merovæo poſterisq; ejus, cum cœteris Francorum regibus communem non fuiſſe, demonſtraverit. Sed fruſtra hîc ſatagat. Promiſſæ enim cæſariei decus commune omnibus regii ſanguinis principibus, atq; illis etiam fuiſſe, qui Merovingiæ gentis non erant, aſſerit Characici filiiq; exemplum, Gregorio Turonenſi relatum, quos à Merovæo deſcendere non potuiſſe modò evicimus, (c) Pariter ne illud quidem, quòd Chlodovæus eodem Gregorio teſte, (d) Sigebertum regem parentem ſuum profeſſus ſit, quidquam ad rem facit. Notiſſimum enim eſt, eâ voce non agnatos tantùm, ſed promiſcui generis conſanguineos quosvis per Galliciſmum, ut nunc, ita tum quoq; venire ſolitos. Sed & quàm latè

latè cognationes putare receptum regibus sit, urgere hîc non attinet, ut propè ne cognatum quidem Merovæo, nedum filium fuisse Sigebertum, eâ Chlodovæi professione perspicuum fiat. In quam sententiam haud leviter facit, quòd Chlodovæus Sigebertum nec patruum suum, nec improprio sermone avunculum (quod Merovæo genitus si fuisset, fieri utique decebat) sed simpliciter *parentem* pronuntiaverit.

Præter isthæc verò omnia ipse etiam Pradius magnâ, sed perquàm familiari infelicitate nobis suppeditat, quò evertatur, causamq; suam prodat. (e) Prælium enim cum Attilâ commissum in annum 450. rejicit; post victoriam verò Chilperico regnum susceptum, eundem quoq; anno mox 451. qui idem regni primus fuit, ad libidines à Francis solio deturbatum asserit. Taceo verò nunc rectiùs computantibus (f) Attilam Gallias irrupisse quidem anno 450. sed obsidium Aurelianense & prælium in annum sequentem incidisse; id quod etiam ratio belli & regionum, & eorum, quæ post

post Rhenum trajectum ante factam in meditullia Galliæ penetrationem ab eo in Germaniâ primâ atque secundâ gesta sunt, suadet.

Taceo etiam Pradio magnâ vafritie, quod per meras falsitates ingredienti necessarium est, totum conturbari Chronologiæ ordinem, quando Merovæi obitum in annum 449. rejicienti, necesse est Chlodovæi obitum minimùm integro lustro, contra omnium historiarum fidem anteriorem ac reapse contigit fieri, cùm Chilperico regiminis anni non nisi quatuor & viginti, Chlodovæo autem non nisi triginta tribui queant. Sed nec illud moveo, quòd nequaquam verisimile sit, Chilpericum vix puberem, libidinibus destitutionem & exilium, idque in ipso regni exordio mereri potuisse, nec tantilli ad resipiscendum spatii, adolescentulo cœterà forti ac gnavo, veniam à popularibus factam. At verò illud negari nequit, Chilperici exilium Ægidii Magistri militum gubernio apud Francos continuò exceptum esse. Jam verò Ægidius militum magisterio per

Gallias

Gallias potitus demum est, Avito ad principatum provecto, quod non nisi quinquennio post Attilæ irruptionem contigit. Antea enim Avitus ipse res Romanas post Aëtium in Galliis sustinuerat, non passurus utiq; Ægidium se minorem, Romano Magistratu retento, externæ suspectæq; genti imperare. Quòd si igitur ut Pradius vult, primo regiminis anno Chilpericus à popularibus abjectus est, ante annum 455. abjici non potuit. Quare & Merovæum eòusq; durâsse (& concinit huic communis historicorum sententia, quam solus Pradius temerario nisu convellere audet) necesse est. Francorum itaque regi illi, quem Priscus anno 449. vitâ exutum scribit, cum Merovæo in annum usq; 455. superstite in nullo convenire potest, eâdemq; necessitate Sigebertum Merovæo genitum non fuisse consequitur, quippe quem exulis Romani fratrem natu majorem, utrumq; verò jam tùm anno 449. patre orbatum Pradius ipse nobis haud invitis autor est. Apertissimâ igitur ipsiusq; adversarii irrefragabili testimo-

nio

nio nixâ demonſtratione inanis illa ex Priſco conjectura, cui totàm ædificii ſui molem ſuperſtruit, quâvis paleâ leviùs diſſipata eſt, & jubemus nullius frontis fabulatorem, unà cum ridiculâ ſuâ metamorphoſi, quâ pro Pannitis rege anno 449. vitâ functo Merovæum nobis dare auſus eſt, in iſthoc genealogicæ disquiſitionis primo cardine æternùm valere. Cœterà Sigebertum quidem Pannitis iſto rege natum, eundemq; ipſum fuiſſe, qui Attilam ſibi adverſùs fratrem conciliandum duxit, lubentes concedimus, qui jam in ſuperioribus faſſi ſumus, Francis, eum ad Lonam & Mœnum usq; in Thuringios imperâſſe, eòq; Attilæ tranſitum illâc facienti, quin imò adversùs fratris natu minoris inſidias in auxilium vocato, militâſſe. Verùm hoc ipſo evincimus Merovæi filium non fuiſſe, qui tùm & vivus & vegetus pro Romanis ſtetit, vitamq; in annum 455. extraxit. Sigebertus ergo Colonienſium ac Ripuariorum & Francorum Superiorum Transrhenenſium rex Capetinæ ſtirpis capitibus annumerandus eſt, hoc ſolo gens iſta Mero-

Merovingii sanguinis nobilitate unà cum ipso Sigeberto sempiternùm excidit.

(a) *Les uns se sont fondés sur des conjectures, & des raisonnements qui seuls dans les choses de fait ne sont pas recevables.* (b) *Lib.* 2. *c.* 9. (c) *Lib.* 2. *c.* 41. (d) *Ibid. c.* 42. (e) *Hist. Gall. sub Merovæo.* (f) *Vorburgius ad hosce annos.*

VII.

Mundericus à Sigebertinà juxta & Merovingia posteritate rejicitur.

At verò ut demus Sigebertum Merovingiis, quomodo Mundericum illuc promovebimus? quâ tandem autoritate Chloderici filium Sigeberti nepotem faciemus? *Parentem se regum dixit*, argues, *regnumq; sibi ut Theoderico* Austrasiæ regi, Chlodovæi filio *deberi.* (a) Itane verò regum parentem se dicere, & Chloderico ac Merovingiis natum esse idem erit? At quid tandem est conjecturis lecto-

lectorem circumvenire, si hoc non est? Ipse, inquies, testis est, regio se generi insertum fuisse. Quid si verò in causâ propriâ testis suspectus ac falsus sit? Quid si aliorum exemplo perduellium falsò se regio sanguini inseruit? Quid si regibus ortus, non tamen Merovingiis, sed quocunq; illorum, quos Chlodovæus ambitioni suæ victimas prostravit? Quid si etiam Merovingiis sanguine junctus, ast per fœminas? Nihil horum vel exprimit Gregorius vel excludit. Omnisne ergo regum *parens* seu consanguineus ac propinquus protenus & agnatus erit? Nam quod regeri posset, nisi justæ agnationis titulo regiæ Merovingiorum hæreditati ut immineret futurum non fuisse, id oppidò frigidum est. Etenim si quo casu seu Chloderico, ut vult Pradius, seu quovis alio regum Francorum tanto paulò antè numero florentium natus fuisset: potuisset utiq; & regum parentem se dicere, & regnum Chlodovæi facinore, eòq; injuriâ, præreptum jure petere, nec tamen Merovingius esse. Ast quidquid ejus generis in rem Munderici afferri

posset,

posset, evertit Gregorius, quando haud frustra neque obscurè ait : *adseruisse se Mundericum regum parentem.* Hoc est: jactâsse id de se, ipsum quidem, cujus intererat ita credi; sed fallè; nec eandem de eo aliorum sententiam fuisse. Nam extemplò subjicit, *superbiâ* hoc est, nullâ juris specie, sed solâ regnandi libidine, *elatum*, facinus suscepisse. Nimirum egit Mundericus inter Francos eandem fabulam, quam haud multò post ipsum Gundobaldus quidam, itidem falsus Chlotarii majoris filius in eodem theatro lusit. (b) Et sanè siquidem Chloderici ac Sigeberti progenies fuisset, sectatores in regno avito, Ripuariorum, Francorumq; Transrhenensium, & inter paternos avitosq; clientes atque amicos gentilesq; suos potiùs, quàm in meditullio Galliæ, Arvernia, non pridem antè Visigothis erepta. Verùm ut ne quid dubii superesse posset, providit toties nobis in testem vocatus Gregorius Turonensis (c) qui à Chlodovæo consanguineorum stragem adeo ingentem fuisse editam prodit, ut etiam in publico ordi-
num

rum conventu, non sine specie queritari potuerit, *solum se velut inter extraneos relictum*, doloq; tentandum putaverit, numne lateret alicubi, cui regiæ progeniei se asserere lanienamq; augere volupe esset. Gregorium ipsum audire dignum est. Ait autem: *Interfectisque & aliis multis regibus, vel parentibus suis primis, de quibus Zelum habebat, ne ei regnum auferrent, regnum suum per totas Gallias dilatavit. Tamen congregatis suis quàdam vice dixisse fertur de parentibus suis, quos ipse perdiderat: Væ mihi, qui tanquam peregrinus inter extraneos remansi, & non habeo de parentibus, qui si mihi venerit adversitas possit aliquid adjuvare. Sed hoc non de morte horum condolens, sed dolo dicebat, si fortè potuisset adhuc aliquem reperire, ut interficeret.* Quòd si igitur Chloderici filius fuisset, & quidem, ut Mundericum sub patris interitum fuisse necesse foret, puberem, quânam Plutonis galeâ tectus Chlodovæi patrem avumq; regni & ambitionis causâ tollentis, vigilem industriamque vafritiem insidiasq; effugere potuisset?

An

An forsan Chloderici filium, Sigeberti nepotem esse satis non erat, ut in eum *Zelus*, ne patrium avitumq; regnum aliquando repeteret, à Chlodovæo conciperetur? Addo, quàm à fide alienum sit, tametsi Chlodovæi manum atq; insidias elusisset, ut à Chlodovæi filiis, patri ambitione & crudelitate quàm simillimis, & regnandi causâ in sanguinem suum, fratres, nepotes, & propria viscera liberos, atrocissimè, & ad horrorem etiam præsentis seculi sævientibus, non toleratus modò, sed eò etiam provectus fuerit, ut amicos, honores, opes, aliaq; ambitionis, ferociæ, ultionisq; non admodum injustæ instrumenta, quæ ad rebellionem florente etiamnum regum potentiâ atq; fortunâ, cum spe successûs ciendam suffecerint, parare potuerit. Denique si quicunq; regum parentes (ut Gallicismo hoc utar) Merovingiis & Sigebertinæ posteritati regumq; agnatis continuò inferendi sint: Sygiwaldus etiam ille, quem Theodericus Austrasiæ rex sub eadem tempora Arverniæ præfecit (d) illuc referendus erit, quem filiumq; Gywaldum

F longa

longa haud dubiè regiorum parentum & agnatorum agmina alia, invitâ etiam Chlodovæi vigilantiâ atq; sævitiâ, præter omnem historiarum fidem, secutura essent.

Illud largiri possum, tametsi nullo testimonio constet, exemptos fortasse communi clade, seu ex Merovingiis, seu cœterorum inter Francos regum propinquis, illos, qui illegitimo concubitu nati, nec agniti, aut in spem successionis natalibus restituti fuerant, quòd ob conceptionis fœditatem, nullo legum, patrumve, aut populi beneficio levatam, contempti, nec proinde Zelotypiam supervacaneamq; sævitiem Chlodovæi meriti, regiâ successione satis arceri viderentur. Quorum albo si Mundericum inferendi lubido Pradium urget: per nos quidem id licebit. Et poterit juvari, quod Mundericus soli se ex regibus Chlodovæi filiis, Theoderico comparaverit. Nam & iste nothus erat, ante nuptias cum Crothilde legitimâ uxore contractas ex pellice natus, verùm patris populorumq; judicio ob virtutem sanatus.

At

At meminerit Pradius, eo pacto Chlodovæo potiùs aut Chilperico, quàm Sigeberto vel Chloderico prognatum Mundericum; tùm verò incidisse se cum regibus suis Capetinis, præter Chloderici parricidium (vitiosis natalibus haud paulò abominabilius) etiam in ipsas illas natelium sordes, quas in Martello aversatus est, quasq; tanti putavit, ut ejus obtentu Carolo Magno iniqui usurpatoris calumniam irrogare ausus fuerit. Meminerit inquam, suo proinde calculo Capetinos omni Merovingiorum jure & successione hoc uno excludi, & usurpatores esse. Quòd eò pertinet, si quidem Pradii judicio standum, ut ipse, dum Carolinos posteros eo nomine insectatus est, illusisse improbè regibus suis, eodem vado hærentibus videatur, & hi beneficium apud ritè æstimantes nobis debeant, qui eos ab originibus Merovingiis non modò per Sigebertum & Mundericum nihil profuturis, sed indelebile etiam, ut Pradius vult, natalium illegitimorum stigma inusturis, ereptos cupimus.

(a) *Greg. Tur. lib. 2. c. 41.*
(b) *Aimoinus l. 3. c. 67.*
(c) *L. 2. c. 42.*
(d) *Id. lib. 3. c. 13.*

VIII.

Quid de Bodegiſilo duce ſentiendum.

BOdegiſilum aliquem inter S. Arnolfi majores ferre, quin etiam patrem Sancto largiri poſſumus. Eſt enim Bodegiſili nominis ratio eadem, quæ Anſegiſili. Uti enim ex iſthoc Anſegiſi & Ansgiſi nomen emerſit: ita Bodegiſili vox in Bodegiſi ac Bodgiſi contracturam attenuata eſt, quæ deinde vulgari loquelâ in Boggiſum aut Buggiſum abivit. Legimus autem Arnoaldum Buggiſum Ansberti Senatoris, ſeu Romano, ſeu vetuſto Gallico, ſeu quovis alio ſanguine oriundi filium, Aquitaniæ ſub Viſigothis ducem, ex Odâ conjuge S. Arnolfi patrem fuiſſe, quam ſententiam Bouchetius, Pradii ex profeſſo lectus Antagoniſta,

niſta, ſibi ornandam ſumpſit. Ita Pradius in adverſarii ſui caſtra imprudens conceſſit. Bodegiſilum enim aliquem cùm Sancto patrem tribuat, neceſſariò Bodegiſilus iſte Arnoaldus ei amplectendus eſt, quoniam cum Bodegiſilo ſuo Munderici filio cauſam necquicquam proſequitur. Provocat quidem ad vitam S. Gundolfi Tungrorum Epiſcopi, Bodegiſili alterius ducis fratrem, S. Arnolfi ſuppoſititium patruum, qui cum fratre in aulâ Chlotarii cujusdam, nuſpiam cogniti Auſtraſiæ regis educatus ſit. Aſſeverat eâ legendâ patrem Bodegiſili hujus Munderici nomine diſertim exprimi, ipſam verò hiſtoriolam S. Arnolfo, qui unà ibi Gundolfi ex fratre nepos audit, dedicatam eſſe. Aſt mihi vita iſthæc S. Gundolfi viſa hactenus non eſt. Illud verò in progreſſu patebit, quanta perverſitate Pradius in applicandis themati ſuo veteribus inſtrumentis verſari ſoleat. Tutò igitur in eo acquieſcere poſſe mihi videor, fide nequaquam integriore & in hoc egiſſe. Quin imò jam nunc ab amicis è Galliâ moneor, extare alibi vi-

 tam

tam Sancti jam pridem publicatam, inibi verò de Munderico nihil haberi. Illud verò perquam jucundum est, quod addunt, Lotharingiæ mentionem, quæ Gundolfo patria fuerit, ibidem prostare, quod sanè Pradii intentionem pessundat, quantumcunque improvidus malæ causæ patronus id sibi minimè spoponderit. Constat enim Lotharingiæ nomenclaturam post annum 840. natam, postquam Francia illa Austrasia, quæ Rheno, Mosâ Scaldiq; & Oceano clauditur, Lothario Cæsari Ludovici Pii filio in sortem venisset, unde & nomen contraxit; hoc est ab Arnolfi excessu, annis minimùm ducentis. Quî igitur Gundolfi vitam Arnolfo nepoti inscribere potuit autor, à duobus ampliùs seculis vivis exempto, quin etiam velut præsentem alloqui & salutare? Pudeat Pradium, si quid pudoris reliquum habet, in re cui consequentias inædificat Europæ omni, si voto concipientium exitus respondeat, in luctum versuras, tantâ improbitate atq; versutiâ, nec minore tamen ineptitudine inertiâque versatum.

Hoc

Hoc solo prodidit, quanti testis, quanti qui testem produxit, faciendus sit scriptor, indignus qui lucem videat. Ego deploratum suo cum Bodegisilo hinc jam dimittto, ad ulteriora progressurus.

IX.

S. Arnolfus cum posteris à masculâ Merovingiorum progenie secluditur.

EVersæ enim in hunc jam modum tripliciter Pradii genealogiæ regiæ, frustra quartâ acie S. Arnolfus remedio venire jubetur; qui tamen etiam ingratiis Sigeberti & Munderici, & Bodegisili Merovingiis per alios traduces, concedendus adhuc erit, si ratiunculis quibusdam frivolis, queis Pradius niti pergit, locus aliquis constet. Quibus quandoquidem sibi imponi rudiores facilè patiantur: eas quoq; nihili convinci pretium operæ forsan fuerit. Nec id tamen, quàm lectoris tædio levando vellemus, paucis fieri potest; cum etiam in-

vitos nos abripiant, quæ à Pradio (ad rem, an secus, nihil pensi habet) causæ laboranti opitulari coguntur.

Austrasius verò fuit Arnolfus, ac si Pradio credimus (a) Chlotario II. ætate par; hoc est anno 583. in lucem editus. At si quod idem mox perhibet, anno 595. aut qui hunc secutus est, uxori junctus sit: sequetur, ne puberem quidem tum adhuc, maritum tamen jam fuisse. Quod indicio esse possit, quantâ fide (nec enim id nisi consultò admisit, Chronologiæ haud precariò corruptor) quantâque etiam circumspectione, qui tàm pugnantia loquitur, in lectore instruendo versari consueverit, maximè, cùm Anonymus, qui vitam Arnolfinam memoriæ tradidit, autor sit, *vix tandem cogentibus amicis* (quod nisi tardijugis contingere non solet) *conjugio se addixisse.* Sit hoc in digma secuturæ mercis, quam ut vendibilem nobis faciat, rationes suas in huncce modum digerit.

In fronte collocat textum Pauli Diaconi, ex fragmento, quod extat de Episcopis Metensibus, sic habentem:

(b) *Post*

(b) *Post Pappolum ad regimen Ecclesiæ Beatissimus Arnolfus assumptus est, vir per omnia lumine sanctitatis & splendore generis clarus, qui* ex NOBILISSIMO FORTISSIMOq; FRANCORUM STEMMATE *ortus, ita DEI Ecclesiæ præfuit, ut & moderator Palatii existeret.* Stemmatis enim nomine, quod Paulus hîc exhibet, constanti usurpatione masculam semper propaginem venisse, subsumit. Francorum autem compellatione per antonomasiam reges intellectos vult, ut sensus sit; stemmate Francorum regio per masculam progeniem Arnolfum editum fuisse.

Proximo huic loco testimonium Petri Bibliothecarii statuit, qui anno 898. vixit scripsitq;, eumq; Pradius in hunc modum introducit loquentem. (c) *Anno* DCCLI. *Pipinus legatos Romam misit ad Zachariam Pontificem maximum, ut,* QUI EX ANTIQUA STIRPE MEROVINGIORUM FUERIT, REGNARET IN GALLIA. *Exaudit Pontifex, & mandat Gallis, ut in eorum regem haberent Pipinum.*

Dehinc ordine ſuccedunt teſtimonia Annalium Francicorum, tum Bertinianorum, tum & aliorum duorum, quos ab anonymis autoribus ſeculo nono conſcriptos eſſe creditur. Unum autem recitâſſe pro omnibus fuerit, quòd alterum ab altero, qui iſtiusmodi ſcriptorum mos eſt, ſua verbotenus ſumpſiſſe, legenti perſpicuè pateat. (d) *Pipinus*, ajunt, SECUNDUM MOREM FRANCORUM ELECTUS EST IN REGEM, *& unctus per manum ſanctæ memoriæ Archiepiſcopi Bonifacii, & elevatus à Francis in regno, in Sueſſionis civitate. Hildericus verò, qui falsò rex vocabatur, tonſuratus eſt, & in Sithieu monaſterium miſſus.* Morem verò Francorum hîc ſumi docet Pradius, pro lege regni fundamentali, ſub primâ atq; ſecundâ regum familiâ, circa regiam ſucceſſionem vigente, quam explicare conatur, ex literis Fulconis Archiepiſcopi Rhemenſis, ad Imperatorem Arnolfum datis, & in hunc ſenſum conceptis: (e) *Morem Francorum gentis aſſerit, ſecutos ſe fuiſſe, quorum mos ſemper fuit, ut à rege pece-*

decedente alium de regiâ stirpe, vel successione, sine respectu vel interrogatione cujuspiam majoris aut potentioris regis eligerent. Adjicit huic in subsidium Pradius duo Caroli M. & Ludovici Pii capitularia, seu constitutiones, quarum ego, antequam hinc abeam, faxo suis locis, ut & literarum Fulconis, & elogii huic præstiti, malè cautum pœniteat. Hunc autem sive morem, sive legem fundamentalem eò pertinuisse vult Pradius, ut decedente rege, populo electionis arbitrium factum esse autumet, alium quemcunq;, quem dignissimum judicaret subrogendi, modò ut è gremio familiæ regnatricis esset. Quare ex his per insignem epilogismum sic argutatur: *Pipinus à Francis in regem assumptus fuit, juxta morem Francorum. Necesse est igitur è stemmate regio fuisse. Pipini autem stemma per S. Arnolfum olim propagatum fuit. Rectà igitur consequentiæ lege concludendum est, ipsum quoq; Divum, cum omnibus posteris, quos inter etiam Capetinì à regibus Merovingiis, & masculà quidem progenie descendisse.* Subjungit

 porrò

porrò Hincmari Rhemensis Archiepiscopi autoritatem asseverantis (f) *Ludovicum Pium Caroli Calvi patrem è carne Chlodovæi M. carnis duxisse originem.*

Deniq; & Ademari monachi opem emendicat in hanc sententiam loquentis: *Et Zacharias Papa cum consilio nobilium Romanorum mandavit Francis, ut meliùs esset, vocari regem illum, qui haberet prudentiam & potestatem, quàm illum, qui sine regali potestate rex erat*; ET UT NON CONTURBARETUR ORDO REGALIS, JUSSIT PER AUTORITATEM APOSTOLICAM PIPINUM FIERI REGEM, QUI ERAT DE SANGUINE REGALI FRANCORUM. (g)

Hi arietes eò omnes tendunt, ut quas Pipino asserere origines Merovingias videntur, in ejusdem abavum Arnolfum, & per hunc in adscititiam ejus posteritatem, Capetinos redundent. Verùm ego antequam eos singulatim enerves elumbesq; faciam, illa quæ in universum prosternendis, etsi pauca numero, pondere

dere tamen magna, sufficiant, præmittenda puto.

Enimverò si Merovingiæ virilis prosapiæ fuit S. Arnolfus, aut è collateralibus Chlodovæi M. fuit, aut ex descendentibus. Alterutrum necesse esse, nemo putem ambiget. Ast è collateralibus esse nequit. Chlodovæus enim, uti in superioribus comprobavimus, adeò se omnibus agnatis suis, ad successionem regiam, eminus cominus sanguinis jure venientibus liberaverat, ut Diogenes citiùs hominem, quàm ipse agnatum reperisset. Nec superfuisse ergò quemquàm eorum certum est, nec si superfuisset, Chlodovæi filiis, quod jam ursimus, nepotibusq; paterni ut regni, ita dominationis flagitiorum plùs nimio hæredibus, ferarumq; more bestiarum in semetipsos indies ferè grassantibus, vel clàm toleratus, nedum in lucem, & ad suspectam etiam regibus potentiam evectus fuisset. Multò autem minùs ad Chlodovæi descendentes confugium patet, disertissimo ipsius Pradii testimonio. Ut enim is Blitildem laudatam à non-

nullis Ansberti Senatoris uxorem, Chlotarii II. filiam non fuisse convinceret, hoc utitur argumento, (h) quod tametsi merè negativum, irrefragabile tamen pronuntiare audet; quòd Gregorius Turonensis, qui quidem anno 595. quo vitam cum morte commutavit, Arnolfum jam Dodæ maritum nôsse potuit, regum Merovingiorum liberos utriusque sexûs omnes ad eam usq; ætatem exactâ curâ historiæ suæ inseruerit, in quibus nullam Chlotarii Blitildem invenire sit. Dicam igitur & ego: si mihi Pradius in Gregori Turonensis historiâ ullius regiæ prolis masculæ vestigium invenerit, ex quâ vel tenui conjecturâ inferre quisquam sani judicii possit, Arnolfi ortûs legitimos fuisse deductos: manus illico dabo, herbamq; porrigam. Taceo illius ævi morem tulisse, ut cuilibet regum filio, certé legitimo, regni paterni portio cum regio nomine in sortem veniret; quâ lege Majores Arnolfi (qui Merovæi summùm abnepos esse poterat) intra privatam conditionem, ut fuere, mansuri sanè non fuissent. Si

quâ

quâ autem ratione fors tentatus, hîc saltem ad spurios aut illegitimos recurrendum sibi duxerit Pradius: causæ suæ proditor manifestus iterum prodibit. Addo nunc Carolum Calvum, primum Galliæ occidentalis modernæ regem, eruditorum, ut tunc erant, & ipse affectabat, fautorem fotoremq;, eoq; nomine coætaneis scriptoribus laudatum, imò literarum ne ipsum quidem expertem, quarum ope antiquitatis illa, quæ ad gloriam domus suæ faciebant, præsertim non remotissima, & quæ ipsas origines spectabant, si qua fuissent Merovingii traducis vestigia, ante alios omnes, patentibus totius Galliæ scriniis & chartophylaciis, vel suâ, vel suorum industriâ deprehendere potuisset. In eo certè mecum omnes facilè convenient, si Pipino regi proavo natales Merovingii adeò certâ ratione constitissent, ut iis potissimùm suffragantibus, quod Pradius vult, regno à Francis admotus fuisset, in neminem sanum cadere posse, ut credat, inter proavum ac pronepotem, annis omninò septuaginta, qui inter illius obi-

tum,

tum, & hujus regnum intercesserunt, perituram fuisse, tàm insignis prærogativæ conscientiam memoriamq; usq; adeo omnem, ut ne vel per tenuem quidem traditionis rimam, saltem intra regios penates, si non vulgò, conservata fuisset. Et tamen iste in rem suam, etiam per fas nefasq; tàm gnavus & sedulus, & gloriæ ad excessum vaniloquentiæ deditus Carolus, eòusq; nec scivit, nec credidit, imò ne suspicatus quidem fuit, prosapiam suam, virili Merovingiorum propagationi aliquid debere, ut non passus sit modò, sed & jusserit, Pradio rursum locupletissimo teste, (i) origines regiæ suæ domûs (verè an falsè hîc perinde est) ad Ansbertum Senatorem Arvernici generis virum trahi, in tabulas quoq; referri, ac in lucem edi; de cætero autem, ut aliquid saltem Merovingici sanguinis gloriæ causâ in se transferret, Blitildem aliquam Chlotarianam iis inseri.

Quàm verò festivum est, à Pradio hîc excipi, (k) Blictildem ab adulatoribus aulicis, eo fine Ansberto junctam, & conjugum

jugum hoc par Majoribus Carolinis additum, quò hisce gloriæ aliquid è sanguine regum Merovingiorum, vel per fœminas aucuparentur. Quòd si enim vel ipsi, vel rex, qui ita jusserat, credidissent, gloriam Merovingiæ virilis propaginis, vel per verisimilitudinem aliquam Carolinis inesse: profectò ut erant illi adulatores, ut erat iste & rex, & vanus, ad sexum sequiorem, ut eam gloriam aucuparentur, descensuri neutiquam fuissent. Id lubens admiserim, ab artibus paratos non fuisse scriptores, quos adulationis insimulat, illorum, qui hodie genealogi regum industrii & ingeniosi ut videantur, reges ita palpare suos noverunt, ut sub adscititiis majorum fumis, fucos etiam titulorum in innocentium vicinorum pestem atq; excidium subministrare, & execrandis regnorum venationibus campos recludere & complanare religioni probroq; non ducant.

Quòd deniq; anonymus vitæ S. Arnolfi scriptor Divo coætaneus & familiaris adeo ignoraverit, regiæ stirpis germen fuisse, quem laudandum susceperat, ut

ut opus etiam attentâ esse mente (l) ipse agnoscat Pradius, quò Francum majoribus fuisse illo quidem magistro discas, id inquam, solum silentium, quovis etiam Stentore clamosiùs aures mentemq; verberat, monetq; inter non entia historica relegandam esse istam Arnolfi Merovingiam progerminationem. Solent qui vitas illustrium virorum memoriæ posterorum commendant, nonnunquam in Panegyristas abire, & res etiam incertas, cujusmodi esse sæpe solent, quæ ad generis primordia pertinent, lectoribus offerre, modò ut ad gloriam herois sui facientes. Et scriptores Benedictinorum nequaquam parci sunt, in regiis suorum natalibus pandendis. Hic verò & coævus, & præsens Arnolfi laudator, qui gestos mundanos honores gloriamq; bellicam non dissimulavit, ut generis tàm celsam originem, si quæ fuisset, ad Sancti ejusq; prolium commendationem, & quem maximè ejusmodi scriptorum scopum esse decet, ad exemplum in publicum tam eximiè facientem silentio præteriisset, fidem omnem superat. Quid verò dicam

eam silentio præteriisse scriptorem regios Arnolfi ortûs? Quin potius tantùm non dilucidè perhibuit, regios non fuisse, quando simpliciter tradidit, *altum satis & nobilem parentibus fuisse.* Quàm enim ista frigidè regiam volunt generationem? Si renuis, inspice, quæ mox de Dodâ conjuge subjecit, *ab inclytâ & nobilissimâ gente puellam fuisse.* Si enim ne inclyta quidem isthæc & nobilissima puella regii sanguinis fuit: quantò minùs, qui tantùm à *satis altis & nobilibus parentibus* prædicatur. Bliteos sibi lectores haud dubiè meros spopondit Pradius, quando eos ad vitam Arnolfi deducere, causæq; suæ tàm manifestè adversantia nemine invitante velut digito monstrare ausus est, nullo deprehensionis metu, ipse bliteus potiùs ac bardus, qui non animadverterit, dum plumbeos suos pugiones in adversarios alicubi jactat, eosdem ab his prehensos atq; retortos, in letalia autori tela abituros.

Possent ista convellendis, quæ in contrarium à Pradio congesta sunt, ac saltem,

tem, si quod modò pondus haberent, ad meram probabilitatem deprimendis, apud quemvis, qui animi æquitatem cum tantillo salis, ponderibus lancis afferat, abundè esse. Sed ne virium diffidentiâ magis, quàm judicio fugisse conflictum visi, apud imperitos rebus levissimis & inanissimis momentum aliquod incauti conciliemus: agedum trahentem secuti, singula, quæ tuendæ causæ in arenam produxit, excutiamus.

Et Paulum quidem Diaconum Pradius, quò fidem apud ignaros ei aucupetur, illaudabili astu, ne quid inclementiùs dicam, (m) Arnolfo penè coævum facit, cùm minimùm seculo uno atq; dimidio, quod ævo præsertim inculto, & memoriæ rerum ad posteros enucleatim mandandæ, admodum negligenti, plurimum esse debet, ab eo humanis exempto, sua literis consignaverit. Iste verò Paulus, si seculo scripsisset Tullii alicujus aut Gellii, me quidem non repugnante, *stemma* pro virili tantùm propagine, usq; sumeret. Nunc inter eos cùm scripserit, qui etiam patrem pro socero, filium

pro genero, fratrem pro affine, avunculum pro patruo, adstipulante iterum Pradio (n) dixere: quidni stemma longè compendiosiore transpositione ad genus vel stirpem utriusq; sexûs germina pandentem, transtulisset? Francorum deinde gentile patriumve nomen, quòd hoc loco per antonomasiam pro regio captari velit, quisquamne sordidissimus ludimagister grammaticusve in causâ quam ipse tàm arduam fecit, inaniùs ac pulverulentius in medium dare potuisset? Manifestus est sensus scriptoris, Francum genere dicere voluisse, undecunque ex Francis civibus prosatum. Et ne inter originarios quidem Francos distinguit, illosq;, qui sive è Romanis, sive è Gallis indigenis, sive etiam è Visigothis, quod sanè usitatissimum tùm erat, Francicâ civitate donati essent. Sed ut agnoscat, quàm non difficiles simus: habeat sibi stemma suum virile, imò habeat etiam, quod fortasse compendio tam levi non expectabat, habeat inquam, etiam regium; quid promovebit? Quisquamne Arnolfum regio Francorum eoque virili stemma-

ſtemmate fuiſſe inficiatus eſt? cùm pariter omnes quotquot ea tempora attigerunt, non participem modò, ſed & præcipuum, & è genearchis ſtemmatis, ævo Pauli (ſcripſit enim ſub Carolo M. Arnolfi atnepote) rerum potitæ fuiſſe, concinentibus votis exclament? De hoc verò Carolinorum regio, quippe tum regnante ſtemmate Pauli ſenſum fuiſſe, tum illa evincunt, quæ paulò antè adduximus ſententiæ noſtræ ſtabiliendæ capita: tùm & inter alia, illud in textu Pauli adjectum fortitudinis encomium evincit, quam Pauli ætate in Merovingiis nullam, ac retro ne à ſeſquiſeculo quidem fuiſſe, in Carolinis autem tum vel maximè orbem famâ implêſſe, perſpicuum eſt. Accedit verò, quòd commodam atq; etiam laxiorem vocabuli *ſtemmatis* interpretationem, qui in cauſâ verſamur, quâ odioſiſſimas Pradii ſtrophas, ab omnium jugulis avertere intendimus, jure noſtro capeſſamus. Regios igitur ortûs habuiſſe Arnolfum ex iſthoc Pauli Diaconi teſtimonio nemo æquus judicaverit. Regibus tamen ortum, ſerâ licèt generatione

tione dedisse notum est. Et hoc intuitu è regum Francorum, hoc est, eodem ac reges scriptori contemporanei, stemmate fuisse, lubentes agnoscimus. Ecce Pradi! quàm levi impulsu tantus ille tuus Protagon, qui in initio tractationis, & in fronte aciei tuæ collocatus, vel solus agminibus adversariorum tuorum profligandis sufficere tibi visus est, prostatus sit.

Nec mitior fortuna manet Petrum illum tuum Stephani Papæ Septimi Bibliothecarium, quem sub ipsum seculi noni exitum demum, Carolo Calvo jam pridem è vivis sublato, sua consarcinâsse ultro fateris: Hunccine autem Carolo isto vestro origines certiùs calluisse censere audes, peregrinum Franco, extraneum gentili, privatum rege, cujus præ omnibus origines novisse suas intererat, imò quem originibus suis eruendis minimè perfunctoriam navâsse operam, ipsæ illæ, quas rejicis Ansberti nuptiæ produnt? Quòd si etiam diceremus jactatas esse de industriâ à Pipini asseclis, quò Pontificem causæ suæ faciliorem

para-

pararent, & pronis Romæ (ubi Pipino favente & rege potiùs, quàm regio administro opus erat) auribus acceptas Merovingias origines, nihil eo fortasse aliud factum esse dicturi essemus, quàm quod solent ante alia omnia agere, qui regnis alienis per seditiones & ambitum inhiant. Novimus enim, quot artibus regnorum aucupes progredi consuêrint, & novit juxtà mecum Pradius, cùm stirpis Capetinæ in Galliæ eversioni, superiore seculo, quod examinare meum non est, quidam imminere dicerentur, quanto conatu, ut majoribus Carolinis descendisse crederentur, civibus unà exterisq; scriptoribus laboratum sit. Sed nulla nos illuc necessitas cogit. Ipse ille in testem Pradio vocatus Petrus, ut paulò antè Paulus, quidquid sibi inde expectaverat opis, corrumpit. Nec enim *stemmatis* voce utitur Petrus, ut ne exinde emphaseos aliquid eruere, & causationes nectere Pradius possit, sed *stirpis*, quæ utriusque sexûs influxum jam sine controversiâ admittit. Quàm præterea egregiè à notitiâ rerum Francica-
rum

rum instructus, ista propaginis Merovingiæ commenta in commentarios suos retulerit Petrus: produnt illa, quòd Pontificem Francis mandâsse velut pro imperio, sive ut Ademarus exprimit, per autoritatem Apostolicam, ut Pipinum solio admoverent, autor sit. Quod Pradius, probè scio, qui autocratiam Francorum nullis alienis legibus, sed DEO soli sine medio obstrictam, in hâc ipsâ Pipini causâ alibi tam intrepidè tuetur, ita dictatorio supercilio gestum esse, Calendis Græcis admissurus est. Imò si rem totam attentiùs æstimaveris, totum illud Bibliothecarii testimonium, cuivis sensato ludibrium debebit, usq; adeò vanum atq; ridiculum est. Ait interrogatum fuisse S. Pontificem, num *qui de antiquâ stirpe Merovingiâ fuerit, regnare in Galliâ deberet.* Quasi verò Francis addubitatum tum demum fuisset, an Merovingius in throno ferendus, qui trecentis jam annis eundem tenuerat? Quisquamne Francorum de hoc laborare poterat, nisi Pradio simillimus aliquis, vel sensu communi privus? Id agebatur,

batur, ut constaret Pontifice pronuntiante, an qui Merovæo sati tum adhuc reges supererant, quòd torpore atque ignaviâ loco indigni, nec nisi nominetenus reges essent, jure dejici, & ii qui jam tum à septuaginta plùs minùsve annis potestatem regiam gnaviter exercuerant, surrogari possent. Hoc res ipsa loquitur, & scriptores unanimi voce concinunt. Ante omnes Eginhardus, Carolo M. familiaris, (o) ex responso S. Pontificis id explicat, decidentis: *Meliùs esse illum regem esse, apud quem summa potestas consisteret.* Conscientiæ nimirum causâ S. Pontifex in partem consilii vocatus fuerat, quo extraneũ à regiâ stirpe, regno præfici agitabatur. Quòd si tamen inter hæc omnia Bibliothecario sani sensûs aliquid & veritatis hîc affricare cuiquam lubuerit; necesse erit, verba illa, (*ut qui ex antiquâ stirpe Merovingiâ esset, regnaret in Galliâ*) ita reddere, ut interrogatum velit Præsulem, numne ineluctabilis ratio necessitatis exigeret, non alium, quàm Merovæo progenitum regno præesse, anne verò prægnanti-

gnantibus ex caussis, alieni etiam à Merovingiâ stirpe, rebus imponi possent? Verùm hoc sensu Pipinus, unàq; Arnolfus à Merovingiis originibus manifestè rejiciuntur. Quemadmodum igitur si his se redimere velit Pradius, aut deceptum esse Petrum Bibliothecarium aut decipere indubiè caussabitur: ita eundem nos nobis contrariantem, pari lege damnabimus.

Liceat verò Ademarum, qui hactenus velut in subsidiis latuit, ad principia translatum Petro, cui causâ conjunctus est, etiam loco conjungere. Ait nimirum is: *ne conturbaretur ordo regalis, jussos esse per autoritatem Apostolicam Francos, Pipinum qui erat de eorum sanguine regali regem eligere.* Verùm descripsisse patet sua ex Petro Bibliothecario Ademarum, cujus sensum ferè in omnibus exprimit, proinde nec numerum facere; & ut hoc etiam absit, in eum tamen, quæ in Petrum, militant omnia. Paris enim, quin turpioris in rebus Francorum ignorantiæ reus est, qui non modò Pontificis autoritatem & jussa, caussæ Francorum expressiùs ipso Petro immiscuit,

ſcuit, verùm etiam nobilium Romanorum conſilium intervenire comminiſcitur. Crederes illo quidem teſte Senatui Romano jus adhuc in Galliam Germaniamve tum ſuperfuiſſe. Hunc verò tam imperitum in rebus quæ cuique obviæ ſunt, quomodo in Genealogicis diſquiſitionibus, quæ veteris hiſtoriæ apicem abſolvunt, teſtem nobis obtrudi patiamur? Scripſit idem Ademarus tribus poſt Pipinum ſeculis, ipſe cœnobita procul negotiis & republicâ, autoremq; laudat nullum, in re, quam propriis haurire ſenſibus nequivit; quod genus teſtium Pradius in Urſpergenſi repudiavit. (p) Taceo quòd ſanguine tantùm regali non ſtemmate Pipinum ortum dixerit, qualem etiam per fœminas fuiſſe, ſatis fuerit, ut Ademaro qualiscunq; fides conſtet, qui utro ille ſexu intercedente Merovingium ſanguinem in ſe transtulerit, in medio relinquere ſatiùs duxit. Nec dubium eſt, profuiſſe Pipino ad regiam dignitatem priſcis regibus, vel per ſolas fœminas, imò vel famâ tantùm innexum fuiſſe. Cœterùm quo ſenſu illa ſint accipien-

cipienda, *ne conturbaretur ordo regalis*, cùm multiplicem capiant interpretationem, interroget Pradius, si lubet, grammaticos. Nobis enim satis est, aut illud velle, ut ne regnum deposito Childerico vacaret, vel nomen regium à summâ potestate diutiùs diverteret, aut incerti sensûs esse, ut hoc testimonium Pradio inutile exeat, & ad alia properantibus, operam cum ipso in re nihili perdere integrum non est.

Literas Fulconis Rhemensis Archiepiscopi, ut has quoq; obiter absolvam, quarum argumentum Flodoardo est, ut acceptum referamus, non capio sanè, quâ vertigine actus Pradius, & hîc per fragmentum, & alibi (q) ex integro referre sustinuerit, cùm vix aliud sit, quod causæ ejus potentiùs officiat. Et quidem quod *morem Francorum* attinet, cujus meminere mox edisseram, quò is spectaverit. At per illa, *qui ab stirpe regiâ existens alienus*, quæ Eudonem Hugonis Capeti patruum magnum notant, non sanè per circuitum, aut in parabolâ, aut ambiguè, verùm conceptissimis ver-

 bis,

bis, & Eudo iste, & cum eo Capetini omnes à stemmate, non Carolino tantùm, sed & Merovingio multis ablegantur parasangis. Verset ea Pradius sursum deorsum, palpet, scrutetur intima, extima, redibit usq;, sensus ille clarus, simplex, & rectus, fuisse Eudonem, & cum ipso Roberti Fortis progeniem omnem in eum usq; diem, ab omni stirpe regali alienum. Præstabat igitur Fulconem quidem missum fecisse, & ubi per mirabilem mentis caliginem favere videbatur, cùm vel maximè adversaretur, parciùs laudâsse, quàm, ut erat, è primariis Caroli Simplicis ministris, & eruditissimum sui ævi politicum palàm asserere, eoq; elogio omnes autoritati ejus postmodum elevandæ aditûs præcludere. Quis enim persuaderi sibi sinat, regni primum in ecclesiasticis pariter ac temporalibus principem, in aulâ exercitatissimum politicum, in sacro cubiculo primarium administrum, ignorare potuisse, quod omnium primò non ignorare officii ordinisq; ratio postulabat, quis suâ ætate de familiâ regnatrice natus

natus censeretur necne? præsertim si, quod Pradius vult, Eudonis linea, à lineâ regali Carolinâ, necdum totis centum octoginta annis (ab obitu scil. Pipini Crassi, quem Childebrando Eudonis tritavo adscititio patrem dat) divergium fecisset.

Hincmari autoritas enuntiantis Carolum Calvum per Ludovicum Pium patrem è carne Chlodovæi M. originem duxisse, quo numero habenda, quove sensu accipienda sit, planum fiet, ubi de hujus enuntiationis occasione & causâ constiterit, quod sic habe: Lothario II. Lotharii Cæsaris filio Francorum Lothariensium rege vivis exempto, Carolus Calvus, adstipulante Hincmaro Rhemensium Archiepiscopo, ut regno (ad fratrem Lotharii unicum superstitem Ludovicum II. Cæsarem Italiæq; regem citra controversiam devoluto) potiretur, quod vulturii possessores solent, omnem Ludovici, tum etiam adversùs Sarracenos distenti diligentiam armis prævertit. Metis intromissus, ut regni ordines sibi addictos faceret, proxenetâ usus est

Hincmaro. Qui cùm omnia conquireret, quò causam aliàs fœdam ac detestabilem commendaret: inter alia reverentiæ benevolentiæq; Calvo parandæ idonea allegavit, editum esse magno illo, per quem Lothariani Franci fidem Christianam primitùs consecuti essent, Chlodovæo. Quandoquidem verò gratiæ quam intendebat parandæ, utrumq; facere poterat, seu maribus, seu fœminis intermediis à Chlodovæo ortus esset: neque expresserit Hincmarus utro sexu niteretur; jam ejus autoritas, quæ nisi merâ conjecturâ ad mares referri nequit, in causâ à quâ Pradius, quà actor jure conjecturam omnem exesse jussit, adversario intercidit. Imò est cur pro fœminis eam militare omnino tenendum, quando jam pridem demonstratum est, ut Pradius ipse agnovit, persuasum fuisse Carolo (proinde & Hincmaro) virili germine Arvernicum Ansbertinum, ast Chlodovæanum non nisi per Blictildem fuisse. Et quid quæso promoveret Pradius, si etiam per mares solos à Chlodovæo deductum fuisse Hincmaro Carolum

Calvum

Calvum daremus? Ipse enim Pradius falsum in eo fuisse Hincmarum largiri, imò contendere deberet, qui non per Chlodovæum, sed per Sigebertum ac Mundericum ortûs Merovingios Arnolfo asserit. Falsus autem in hoc falsus in toto fuit, ac quod Pradio commodet, nihil dixit.

Et Paulo igitur Diacono, & Petro Bibliothecario, & Ademaro Monacho, & Fulcone atq; Hincmaro Galliæ Primatibus, quos adjumento sibi fore speraverat, frustratus excidit Pradius. Quò nunc liberiùs atq; confidentiùs illum, in quo causæ suæ vim præcipuam collocavit, aggrediemur Francorum, qualem in Pipini electione, suo ex cerebro observatum confinxit morem; quocum adversariis rem jam ad triarios deductam haud sine ratione diceres, si quidem annales secundùm extima æstimaveris. At si penitiùs introspexeris, vix tandem pro uno teste, & ne hoc quidem usquequàque idoneo deprehendas. Quos enim numero faciendo, chartæq; & lectori opplendo triplices fecit Pradius, &

 toties

toties ex integro transcriptos dare sustinuit: iidem reapse sunt vel unius anonymi scriptoris diversis in locis exarata tria apographa, vel tres omnino scriptores, quorum duo, qui ætate sequiores à priori suâ ad literam adeo transsumpsere fideliter, ut ne barbarismis quidem sui ducis pepercerint. Unum autem numero virum, quò tres isti redeunt, & rerum, quod credere multa suadent, expertem, ut cum Pradio, quod oppidò incertum est, state demus, tanti esse quis erat, ut cujus autoritas, ne inter privatos quidem litigatores integram probationem faceret: ejus decreto per Pipinum Brevem S. Arnolfus, & cum isthoc Capeti cuncta progenies, præter omnium seculorum fidem, Merovingiis inseratur, exinde etiam de totius Europæ fatis statuatur? Quis unius Cœnobitæ, famæ fortassis, donec ad ipsum perveniret, multimodùm alteratæ solitâ facilitate fidem habentis depositione, octo seculorum (illuc enim res omnis ex mente quidem Pradii tendit) possessiones conturbari, rerum hactenus Dominos exigi,

igi, alienos intrudi omnia inverti, bellisq; æternis involvi jure posse, sibi persuaserit? Nonne hoc solo jam in ridiculum atq; absurdum manifestè versa, totius Pradianæ genealogiæ potissima substructio & collapsa est? Possemus itaq; derelinquere hunc locum, securi ubique judicii lectorum. Verùm largiamur hoc misero, ut ne momento pereat, sed & mori se sentiat. Morem geramus, morem hunc vanæ mentis conceptum atq; idolum adeo perditè depereunti eumq; persequamur.

Ain verò Pradi (s) tulisse hunc morem Francorum, vim legis habentem fundamentalis, ut populo fas esset, è regum progenie, non quem gradûs propinquioris prærogativa vocaret, sed qui populi æstimatione dignior esset, (quæ ratio eligendi maximarum semper turbarum mater bellorumq; civilium obtentus nimiùm plausibilis non esse non potest) solio admovere? Quis hoc historiæ portentum fando unquam extulit? Quibus testibus, quibus instrumentis aut exemplis ad posteros mandatum? Eccui præ-

ter te unum, ut talia effutiret, unquam in mentem venit? Tu verò ipsus numne unquam eò te impudentiæ abduci passus esses, nisi probè cognovisses, nec Eudonem, nec Robertum, nec Rudolphum, nec Hugonem tuum Capetum, quorum posteris fidem atq; conscientiam tuam, dispendio animæ & veritatis addixisti, à violentæ atque injustæ usurpationis crimine (facit tua in Carolum M. modestia, ut tibi succinamus) aliter eripi, neq; adeo jura Merovingiorum, quæ tibi intimam assertionum tuarum faciunt rationem, paulò pòst in exitium omnium liberorum Europæ populorum eruptura, in Capetinos pro egregiâ, quâ polles, jurisprudentiâ transfundi atq; constare posse? Capitularia illa regum, quibus circumvenire incautos necquidquam satagis, paulò post, letale tibi vulnus inferent. Supersedisses haud dubiè iis in luce statuendis, si maluisses ipsorum sensum facere tuum, quàm tuum in ipsis quærere. Morem fuisse aliquem Francis, cùm reges initiarent, observatum oppidò certum est. Vetustis illis, ut coete-

cœteris Germanis receptum erat, quem regem agnoscebant, clypeo imponere, procerum humeris levare, ter in gyrum per exercitûs portare, populoq; ostendere, acclamare. Istene verò mos Pipini Brevis ævo constiterit Francis adhuc an secus, parùm refert. Certè enim aut illa aut alia inaugurationis solennia obtinebant, antequam in sacerdotalem benedictionem sanctiore instituto resolverentur. Jam verò de hoc more scriptoribus rem fuisse, quotiescunq; Pipinum more Francorum regno admotum esse meminere, quis ambigat? Sensus hic planus omnino, & apertus & obvius ac simplex est, & ipsa fronte in intellectum cujusvis legentium incidens, adhibitas esse in Pipino rebus Francorum imponendo, solitas illo ævo istâ in gente inaugurationis ceremonias, & hac allegatos voluisse scriptores. Quidquid satagat Pradius, quidquid ringatur, hunc certè nobis eripi sensum invitis quidem nunquam patiemur. Hunc tuebimur. Nec eluctabit, quantumcunq; adversùm niti pertendat. Veruntamen ut hîc quo-

que intelligat, quanta nobis in causam nostram confidentia sit: nulla mora est, cedemus hoc etiam munimento, & in Pradianam tantisper transibimus sententiam, quæ morem Francorum pro lege ali quâ fundamentali gentis usurpat, in regum assumptione observatâ, eamq; scrutabimur.

Morem inquam fuisse Francis seu legem fundamentalem, ad cujus normam summum in Rep. imperium deferretur, ait Pradius, & hoc ei dare possumus. Fuisse qualem ipse comminiscitur, nemo nisi expers omnis historiæ, aut judicii, aut fidei censuerit. Exponam verò qualis ille fuerit, non meis, sed illustris hoc seculo viri nostratis verbis, Samuelis Puffendorffii, ne quid novi, aut inauditi, & primus dixisse Pradio videar. Ait ille ut per omnia solet, eleganter & concinnè: (t) *Alicubi electio velut mixtâ successione deprehenditur, quando regulariter quidem ad defuncti filios regnum devolvitur, ut tamen populi procerumve consensus initio interveniat. Qui consensus non videtur nudum instar inaugurationis,*

tionis, aut præstationis homagii, sed vim suffragii negativi habere. Veluti si populus in autorem familiæ regnatricis imperium hac lege contulisset, ut idem in posteros quoq; transmitteretur, dummodo regno non inepti sint futuri. Igitur in talibus regnis populus aut proceres conveniunt, non tam ut regem eligant, quàm ut declarent, nihil se in filio reperire, quò minùs patris successor esse queat.

Hæc ille, quæ per se clarissima, paucis hoc volunt: dari electionem impropriè dictam, quâ populo jus sit, de proximo defuncti successore velut cognoscendi, numne aliquo fortè impedimento, moribus aut lege definito præstrictus sit, quo quidem deprehenso, successione arceri possit, secus non possit. Cujusmodi impedimenta, aut cùm primitus regna conderentur, aut etiam postea, seu expresâ lege, sive ipso usu & consuetudine arbitrio & consensu eorum omnium quorum interest, ad varia capita, veluti sunt animi corporisve vitia, religio etiam, & ætas, atq; natales, pertinere possunt, quæ latiùs persequi, nostri instituti non est. Et possem

possem exemplis deducere, nostrâ patrumq; memoriâ hunc morem adhuc alicubi per Europam, in regnis sanguinis jure venientibus viguisse, ejusq; obtentu (reipsâ perfidiæ & rebellionis ergò) discolis deinde civibus, per turbas ad meram electionem aspiratum fuisse.

Jam verò hanc ipsam ex amussim, nec aliam fuisse electionis, quam vocare sic liceat, in regno Francorum, sub Merovingiis & Carolinis (quid si etiam sub Capetinis, & diu quidem?) conditionem, quò ipsâ palàm fieret praxi atque exemplis, possem Pradium latè per omnem Merovingiorum juxtà, & Carolinorum seriem deducere, observantiâq; perpetuò sibi constante, comprobare, proximos sanguine per mares, proximos semper fuisse successione, nec in eo unquam à naturâ discessum, nisi cùm aut vitium in proximo veniente deprehensum (cui ætatem teneriorem pro temporum rationibus nonnunquam, jure an secus, non disputo, imputatam esse, facilè concesserim) aut cùm vis pro jure fuit. Et vi quidem prævalente (quod in-

ter

ter alios etiam Capetinis illis prioribus dandum est) ut manifestè constaret, nullas legitimæ electionis partes tum fuisse, illos quorum jus propius erat, aut tolli è medio, aut extorres agi, aut carceribus mancipari, aut attonderi, nunquam intermissum est. Cujus sanè nulla fuisset necessitas, si usurpatores populi suffragiis legitimis, regniq; more recepto nixi fuissent. Possem inquam, per ea omnia singulatim excussa Pradium velut manu ducere, & quàm nullâ ratione, quem finxit reges è populi arbitrio, modò ne extra Merovæi sanguinem masculum legendi morem nobis obtrudere laboret, quàmq; ex adverso sanguinis ejusdem propinquitati suus honos semper constiterit, quàm deniq; teste omni atq; exemplo tam audax assertio destituatur, ostendere. Velle enim electione Eudonis & cœterorum suæ tribûs, ut facit Pradius, illum morem stabilire, atq; è converso eandem iterum electionem eodem more legitimam dicere: id verò aliud nihil esset, quàm nugas

gas agere, & ridiculâ dialexi, nullâ circuli curâ lectori illudere.

Verùm nolo in diffusa labi, nec Pradio campos aggerundarum præbere multiplicium, queîs abundat causationum & calumniarum. E propinquo suppetit, quo juguletur mos iste chimæricus, & quod perpetuum Pradii fatum est, propriis armis. Nunc enim locus fert, quæ in rem suam Pradius, ceu palmariæ suæ causæ firmamenta vertere contendit, regum duo Capitularia in medium producere, & examinare. Quorum quod Caroli M. est, & circa regni post ejus fata, inter liberos divisionem, filiorumque successionum, & ex filiis nepotum occupatur, sic habet. (u) *Quòd si talis filius cuilibet istorum trium fratrum natus fuerit*, QUEM POPULUS ELIGERE VELIT, UT PATRI SUO SUCCEDAT IN REGNI HÆREDITATE, *volumus ut hoc consentiant, patrui ipsius pueri, & regnare permittant filium fratris sui, in portione regni, quam pater ejus, eorum frater habuit.*

Ita Carolus; ubi facilè mecum Pra-

dius conveniet, hæreditatem & electionem, quarum utramq; hoc Capitulo expressam habemus, ut quæ sibi maximopere adversentur, in unum atq; eundem summæ potestatis acquirendæ titulum, idemq; jus ita crudè cadere non posse. Nam quæ hæreditas est, eadem electio non est; & è converso. Necesse proinde est, aut alterutram vocularum, aut utramq; significatu improprio usurpari. At prius ludere foret, in re inprimis seriâ, qualis legum est latio, regnorumq; divisio, & successorum designatio; quod ut à Carolo, & in publico quidem ordinum conventu commissum fuerit, alienum omnino à gravitate ejus fuisse nemo diffitebitur. Dicere enim hæreditatem, quæ mera sit electio, aut electionem, quæ mera sit hæreditas, quæ nugæ? Consequitur igitur vocem utramq; ita com̃odè sumendam, ut in tertiam aliquam significationem ambæ conveniant. Quare opus est, regiorum successorum, quæ tum facta est, designationem, hæreditatem quidem dictam fuisse, quòd successor lege designatus ad regnum regula-

gulariter ille idem, è lineâ tamen virili fuerit, qui à legibus ad successionem hæreditariam in bonis defuncti regis, jure privatorum possessis vocaretur. Istiusmodi enim in regnis successio hæreditaria dicitur. (w) Electio verò dicta fuit eadem hæreditaria successio, quòd quemadmodum explicavimus, casu aliquo, ob impedimentum lege aut consuetudine à regiis successoribus proscriptum, illos qui cœteroqui sanguinis jure proximi essent, à populo repudiari fas fuerit; cujus proinde judicium & assensus in successorem, electionis quandam speciem præ se tulerit. Hoc ipsum verò est, quod intendimus, quodque Pradii commentum de electione dignioris, arbitrio populorum relictâ funditus destruit. Oppidò enim inter se differunt τὸ proximum sanguine, utcunq; non optimum, nisi insigni vitio regiminis incapacem, populo repudiari non posse, & τὸ ex toto regii stemmatis complexu optimum eligere. In illo votum negativum, in isto positivum rem conficit.

Sed ne conjecturis ista stare Pradius ogge-

oggerat, quamvis ipsa naturalis ratio hunc constitutionis Carolinæ sensum, obvium planè atq; apertissimum præbeat: age Ludovicum quoq; Prium audiamus altero, quod Pradius priori subjungit, capitulari de tribus pariter filiis, & suis per hos nepotibus paulò distinctiùs agentem. Ait is:

Hæc autem tali ordinatione disposuimus, ut si post nostrum hàc de luce discessum, aliquis ipsorum priùs quàm fratres sui diem obierit, & talem filium reliquerit, QUEM POPULUS IPSIUS ELIGERE VELIT, *ut patri suo succedat in regni* HÆREDITATE: *volumus, ut hoc consentiant patrui ipsius pueri, & regnare permittant filium fratris sui in eo regno, quod pater ejus frater eorum habuit,* (NB.) *quam idem habebat,* DIVIDATUR ÆQUALITER INTER ILLOS, *qui superstites remanserunt.*

Prior hujus capituli sectio cum Carolino congruit. In posterioris autem parte sphalma esse & hiare textum, sensus non integer convincit, indicatque dilucidè, post illa, (*frater eorum habuit*) si mi-

si minùs in hæc verba, certè in hunc sensum legendum esse: *Quòd si autem defuncto filius nullus fuerit, aut is ob causam lege aut moribus sancitam populo non placuerit: portio regni quam idem* (defunctus) *habebat, dividatur æqualiter inter illos fratres, qui superstites remanserunt.*

Juvat hîc pace lectoris nonnihil digredi. Hiatum quem supplemus typographóne tribuam, an Pradii sublestis artibus? Certè inter errata operis calci adjecta, ejus nulla mentio est, ut typographi nulla hîc culpa esse videatur. Baluzius verò quem autorem laudat Pradius, ad manum non est. Quid igitur hæsitemus Pradium arguere? Insimulat is Bouchetium, parem ipsi genealogum, non uno loco haud obscurè falsi, in testibus, testimoniisq; citandis, quæ vel nullibi extent, (x) vel nonnullis vafrè adjectis corrupta, (y) vel epochas ingenioso astu à Bouchetio turbatas (z) sortita sint. Ipsâ etiam libri ultimâ paginâ, credo, quò Bouchetio condignè valediceret, tanti putavit Pradius inte-

gri

gri diplomatis, quod ex Chartophylacio Geniacensi citatum fuerat, confiﬅi reum agere, ut moleſtum non duxerit, fraudem literis etiam cœnobii ſolennibus ſubſcriptione teſtium, ac Sigillo Abbatiali ex lege munitis, lectori perſuadere. Hæc eò pertinent ut in propatulo collocetur, eſſe in Galliâ genus aliquod hominum, quod libris operam det ſcribendis, iisq; genealogicis, quocum ſtultè in tenebris mices. Quid ſi verò ipſum etiam Pradium huic ſcriptorum tribui nomen dediſſe dicam? Certè quàm Fredegarii textum pervertere, pro filio Alpaide nato, unicum ſubſtituere filium, lectori fortaſſe non niſi gallicè docto, imponere voluerit, ſuo loco referemus. Parùm hoc fuit; plura auſus eſt. Porrò enim apertis nobis videntibusque oculis cæcutire ut faceret, quid impudens non egit? In Genealogiæ ſuæ parte priore, ne quid dilectus ipſi Eudo Rex Capeti patruus magnus in bello peccâſſe, fortunamq; ſiniſtram paſſus eſſe videretur: (a a) ejus auſpiciis ab Ademaro quodam ejus conſanguineo, cui curam ductumq; belli

belli & exercitûs crediderit, Danos esse cæsos jactat, adeoq; etiam Abbonis cujusdam poëtastri contemporanei versûs per fragmentum in testimonium vocat, sequentes:

Umbra fugat stellas, Ademarus ab agmine vitas.
Dormit Odo, consanguineus sua proterit arma.

Ubi Abbo non modò disertissimè stridet Odonis, sive Eudonis regis, somno sepulti copias ab Ademaro protritas: sed & quando parte alterâ genealogiæ (b b) poëma idem alio fine fusiùs à Pradio malè cauto recitatur, idem clarissimè cuneos Odonis profligatos edisserit, ne omissâ quidem dissensionum, inter Eudonem regem & Ademarum causâ, quòd rex Pictaviense castrum in fraudem Ademari, fratri suo Roberto commisisset. Dubites igitur insanieritne Pradius, quando tantopere sibi adversantia, studiumq; partium, quo in tam enormia rapitur, & vafritiem, etiam in minimis prodentia in lucem edidit; an verò lectores omnes fungos meros, & ut cum

Plauto

Plauto loquar, ſtolidos, bardos, buccones, blennos, utpote falſa tam manifeſta, non animadverſuros ſibi promiſerit. Veniam itaq; dabit lector, & intelliget, non eſſe cur nobis in calumniam imputari queat, ſi integram Pradio fidem non conſtare, ſuſpicemur. Semel enim quod ajunt, inventum, decies factum. Quare cùm Ludovici Pii conſtitutio eo planè loco mancam ſe offerat, quo Pradio maximè adverſatur: non alio conſilio de induſtria undecunq; depravatam, aut certè ſine ſupplemento relictam jure noſtro credimus, quàm ut lectori caligo offunderetur.

Aſt nuncè diverticulo reverſi capituloq; iſthoc in ſuum ſenſum reſtituto, jam manifeſtè ſubſumimus, electionem apud Francos ſub Carolinâ familiâ non aliam fuiſſe, quàm qualem Puffendorffius deſcripſit. Quî enim alioqui eximiæ notâ abſurditatis queat eripi, ut ſi defuncto filius non ſit, aut non idoneus; nulla populo ſit electio, ſed regnum morte poſſeſſoris vacuum citra omnem electionem, ad fratres defuncti, & quidem citra

populi etiam voluntatem in partes ſcindendum, devolvatur; quòd ſi autem filius defuncto fuerit, isq; idoneus, tum populi electio ſit, ſucceſſorq; ab incerto ejus ſuffragio ſuſpendatur? Quaſi verò collateralium ordini in regnorum ſucceſſionibus ullâ lege plenior militare ſoleat favor, quàm deſcendentibus, quorum omni jure proximæ ſemper fuere partes. Ratio igitur conſtitutionis iſta fuit, quòd de filiis regum nondum natis, aut tum pueris, conſtare necdum potuerit, quanti futuri eſſent, numve regno idonei. De fratrum verò aptitudine dubitari nequiverit, ut quos regnorum, quibus jam tum præfecti erant, geſtæ habenæ, & judicium patris populiq; antecedens, nullo præſtrictos fuiſſe impedimento, ſatis arguerint. In hos igitur nulla erat populo poſthac amplius electionis ſpeciem præ ſe ferens, qualis illa cunque cognitio; in illos autem erat.

Sed nimiùm operoſus ſum in re, quam tribus propè verbis abſolvere poteram. Quòd enim regibus Francorum decedentibus,

tibus, proximus sanguine, proximus fuerit successionis jure, nisi vitio præstringeretur: testem habemus locupletem, autorem Breviarii de regibus Francorum & Majoribus domûs, cujus fragmentum editore Marco Frehero, Fredegarii Chronico adjectum legimus, quiq; ait: *Danielem quondam clericum* (Dagoberto III. defuncto) *cæsarie capitis crescente regem Franci constituunt, quem Chilpericum nuncupant, quia* DEFICIENTE PROSAPIA REGUM (hoc est, quia regi proximè defuncto filius aut nullus, aut regno non idoneus fuisset) *illum quem* PROPINQUIOREM *Merovæis invenire poterant, statuêre.* Casus nimirum tulerat, Dagobertum III. morte præventum, filio Theoderico admodum puero relicto. Quare sive ætas hujus pro impedimento legitimo haberetur, seu ita haberi rebus Raginfredi majoris domûs expediret, ab eo discessum, & ad agnatum proximum Danielem è cœnobio in solio collocandum itum fuisse, scriptor indicat, & ætate puero in vitium computatâ tacitè excusat, eòq; consuetudi-

nem regni tulisse, ut in defectum liberorum, PROXIMUS Merovingius regno admoveretur notat, quemadmodum & Daniele mortuo, suus Theoderico interea adulto locus redditus est. Clara igitur lux est istius textûs, quæ propinquitatis honorem manifestè stabilit, & electionis qualem Pradius somniat, fucum sibi fieri nequaquam patitur.

Quæ cùm ita sint, ad illam nunc revolvimur quæstionem, in quâ hujus capitis ferè summa colligitur, hiccine quem descripsimus mos sit ille, secundùm quem annales Bertiniani cum sequacibus, Pradio in subsidium vocati, etiam Pipinum ad regni gubernacula postulatum volunt? hoc est; fueritne Chlodovæi soboles in Chilperico regum ultimo filioq; ejus unico usque adeo nihili facta, ut vitiis insanabilibus non arceri modò throno avito, verùm etiam eodem jam possesso deturbari, & ex adverso Pipinus velut eâdem ex stirpe agnatus proximus in locum sublegi jure potuerit? Hoc enim dato, nihil hoc toto tractatu egimus, & Arnolfus unà cum Pipino

pino Merovingius erit. Multa verò hîc sunt, quæ rite perpensa, jus Pipini factumq; populi elevent; *non eadem fortè vitia, quæ throno prohibeant, eundem jam insessum evertere idonea. Astu Pipini majorumq; neglectam regiæ sobolis educationem; tum regii pueri paternâ culpâ per ipsam ætatem exempti, spes adhuc in herbâ, accedente disciplinâ in bonam frugem maturanda; aut si fortè tum maximè, regnum viro indigebat, admissum paulò antè in Daniele exemplum. Nam & Pipinus dum vixisset rex, puerîq; regii regnîq; tutor analogista rem gerere potuisset, quo vivis exempto, ad Chilperici prolem res rediisset.* Verùm ista nostro à casu remotiora sunt, ac si populum in Chilperici destitutione minùs rectè versatum arguunt: Pipinum tamen Merovingiâ domo, nequaquam protinus ejiciunt, multò minùs Carolum filium, quod Pradius audet, iniquæ usurpationis infamiâ notant, qui regni habenas cùm susciperet, Chilpericum cum filio, aut nullos jam ampliùs, aut regiminis profeſsè incapaces invênit. Deniq; verò, quòd si hoc

freti more Pipinum regem postulabant Franci, quid amabò opus erat Pontificis autoritatem interpellare, in firmamentum facinoris, quod tot exemplis è præterito nullâ Pontificis interventione firmatis, satis jam suo marte stabilitum erat?

Igitur propiora persequamur. Nam ut semel defungar, in eandem cum annalibus quibuscunq; sententiam hactenus eo, ut concesserim, Pipinum *ex more Francorum*, hoc est, ut Pradio obsecundemus, lege aliquâ fundamentali, aut consuetudine vim legis fundamentalis habente, Chlodovæi posteris in regno sublectum esse; at non isto protinus, quem descripsimus more, sed nec altero illo quem Pradius effinxit. Lucem huic distinctioni hanc affero. Pro duplici casu duplex inter Francos mos erat. *Si* proximus ex lege regni successor vitio moribus Francorum à personâ regnatrice exesse jusso, urgeretur, & superessent eâdem ex stirpe mares alii idonei, qui ex his sanguine proximus, is jure ac more vocabatur, nec præteriri sine injuriâ pote-

poterat. Sin agnatorum nullus superstes esset: ad alienos alio more progressus jure fiebat. Ita enim jura gentium ferunt, ut stirpe regnatrice, apud quascunq; gentes casu aliquo ex toto sublatâ, aut quod Francis idem visum fuisse, benignè credimus, inutili redditâ, populi jus sit, aliam familiam lege novâ solio adsciscendi. Ita enim pridem antè iidem Franci usu jam invexerant, quando Chilperico primo ob insanas libidines intolerabili, nec agnatum idoneum habenti, Ægidium Romanum surrogârunt, & quando paulò post, hoc quoq; ob crudelitatem rejecto, Chilpericum interea frugi factum revocârunt. Idem egére, quando Franci Ripuarii, Cameracenses, Terroanenses & cœteri, sublatis ex ipsâ radice apud se, Chlodovæi quidem operâ, regnatricibus familiis, in Chlodovæum ejusq; posteros consenserunt. Posteriore igitur ex more hoc, Pipini electionem transactam esse tenemus. Childerici enim filiiq; vecordiam eam esse putaverunt, quæ non arcere modò, sed dejicere etiam solio potuerit. Deceptos

fuisse opinione suâ haud abnuerim. Ast hoc ad causæ summam non facit. Præter quos cùm ex Merovingiis alius non superaret, jus sibi factum reputabant ad alienos descendendi. Atq; ita rem se omnino in Pipini electione habuisse, illa omnia evincunt, quæ in superioribus à nobis adducta manifestum fecere, Chlodovæi ambitione atq; sævitiâ, cum cœteris Francorum regiis familiis omnem quoque Merovæi posteritatem (si quæ præter ipsum Chlodovæum cum filiis tum fuit) à fundamento excisam, ut neque Arnolfus aut majores ejus, aut posteri, aut alius quisquam privatus eò referri à sano quoquam potuerint. Nihil igitur est, cur ad morem Francorum in electione Pipini provocet Pradius, ut eum cum Arnolfo abavo Merovæi progeniem fuisse comprobet, nisi evidentissima aliunde protulerit indicia, quibus haud alium, quàm quem ipse comminiscitur morem, Francis tum in normam fuisse constet. Secus enim quod ad victoriam, etiam nobis silentibus satis esset, assertio ejus cum omni quam inde texit

de texit sequelâ, in incerto hærere pergit.

Ut verò nunc vela contraham, quòd si Pradio solo mihi in hâc quæstione convicto opus fuisset, nec illud egissem, ut veritas omnibus constaret: fuisset sanè citra tot ambages propius aliquid, & ex ipsiusmet adversarii penu pro instituto depromptum, quo involvissem protinus & exarmâssem incautum, & more suo secum pugnantem, vimq; omnem, quam ex annalibus suis & capitularibus parare nisus est, disjecissem, ac infirmâssem. Ait enim, quod sæpe jam memoravimus, Carolum M. regni alieni usurpatorem fuisse, & tamen patrem ejus more Francorum, hoc est legitimè electum, perquam superciliosè ipse contendit. At si, quod ait, sive Childerici intuitu, throno videl. injuriâ deturbati, sive Childebrandi ducis, jus præ Pipino ad regiam successionem potentius habentis, Carolus M. usurpator fuit; jam Pipinus pater ex more Francorum, hoc est, legitimè & ex familiâ regnatrice electus non fuit. Quòd si verò ex more electus iste fuit,

ufurpator Carolus non fuit. Alterutrum agnofcat Pradius neceffe eft, hoc eft, vel in electione Pipini vitium admiffum, adeoq; non ex more electum Pipinum, & concidere ea omnia, quæ ex more isto tanto ftrepitu argutatus eft: vel fe calumniatorem bonis omnibus execrabilem effe. Velit nolit Pradius, fuo calculo ut hoc confirmet opus eft. Quòd fi enim Childerici caufa ea fuit, ut ex regni lege regiâ poteftate meritò exciderit: quòd fi etiam Childebrandi, quos fupponit, legitimi natales, Caroli Martelli fpuriis natalibus officere in nullo potuerunt: vitium quidem in Pipini electione non erit: aft calumniator erit Pradius, qui non eò minùs hoc nomine Carolum M. cum Pipino & pofteris fœdiffimæ ufurpationis reum agit. Et quæ amabò ftante Pradii de more Francorum fententiâ ufurpatio & in Childebrandum injuria effe potuit, fi Pipinus patre in vim fucceffionis, quod ipfe Pradius non diffitetur, natalibus reftituto natus, unàque Childebrando, utcunq; is propinquior fuiffet, manifeftè dignior, ex Merovæi

rovæi propagine, regibus ineptis, libero populi suffragio sublectus fuit? Sin autem è converso, aut Childericus immeritò ac præter fas loco dejectus, aut Childebrandus Pipino injuriâ posthabitus fuit: vitium electionis manifestum, eòq; electionem nequaquam ex more Francorum factam habemus. Nec enim mores Francorum, legesve fundamentales id voluere, ut vel rex innocens, nec vitio legibus aut consuetudine definito præclusus jure suo excideret, aut proles legitima spuriæ postponeretur. Falsi igitur hoc dato sunt annales, quos producit Pradius, & quicunq; eorum obtentu Pipinum *ex more Francorum* electum perhibuere. At falsi in parte fidem in toto decoxerunt. Unde si cui causari forsan adhuc collibitum fuerit, mori quidem Francorum in eo vim factam, quòd regnum legitimis possessoribus aut eorum proximis successoribus præreptum; eidem verò obtemperatum fuisse, quando in Pipini electione saltem Merovæi familiâ excessum non sit, paucis respondebimus: morem Francorum

utrumq; voluisse, tam ut jus potius habentibus injuria ne fieret, quàm ut ne reges extra domum regnatricem quærerentur. Falsi igitur annales indefinitâ enuntiatione loquentes in uno, fidem nec in altero merentur. Iterum itaq; ajo: aut usurpator non fuit Carolus, & calumniator est Pradius; aut Pipinus juxta morem Francorum electus non fuit. Et hoc casu frustra est, quidquid adjumenti ex more & annalibus Francorum causæ suæ & Arnolfo Merovingiis inferendo venire, Pradius simplicioribus persuasum voluit.

Deseram igitur hunc locum, & S. Arnolfum cum progenie aliud quidvis, at Merovingium non fuisse, constanter tuebor, donec & nostræ sententiæ propulset momenta Pradius, & suam fortioribus statuminet. Cœterà enim vim rationum nostrarum ubi senserit: perinde mihi erit, seu Doctor per ludibrium sim maleferiato, seu Philosophus Asopho, sive Sophista deploratæ causæ patrono, seu deniq; è scholâ pulverulentus cincinnato aulai parasito & assentatori. Rationum

tionum enim ponderibus non ludibriorum strictùris disceptandum est, & orbem judicem habemus, non cum asseclis suis Pradium. Congessit is dicteria illa omnia hinc inde in Chiffletium, deridiculum ut faceret, ipse perridiculus, virum quidem ipso & sine comparatione doctiorem, & sine controversiâ integriorem. Qui si vapulâsset ab alio, quòd in regem suum Imperatoris & Archiregis titulos contulerit: extra invidiam fortasse censura foret. Ast ut ab homine Gallo! mirum tantopere virum stupere, ut non animadvertat, quid manticæ â tergo sit. Quòd si enim desipuit in regibus suis extollendis Chiffletius, ut homo unus desipuit, qui & humani nihil à se alienum haud dubiè putavit. Alibi quantum in eo genere peccetur si circumspexeris: invenies integram nationem satagere, ut Chiffletio paulò plus desipiat, immemorem, quid Solon Crœsum monitum voluerit, tum etiam, quid serus vesper ferre soleat; quandoquidem notissimum sit, jam olim quoque Magnum aliquem, qui terram pede pul-

 sandam

ſandam turgido faſtu ſumpſerat, serò quidem, attamen ſub Cæſare arrogantiæ pœnas dediſſe.

(a) *Geneal. P. I. ſub Carolo Martello.*
(b) *Ibid. ſub Arnolfo.*
(c) *Ibid. ſub Carolo Martello.* (d) *Ibid.* (e) *Ibid.* (f) *Ibid.* (g) *Ibid.* (h) *Ibid. Ces quatre pieces ne ſçauroint eſtre veritables pour trois raiſons ſans replique. La premiere eſt eſtablie ſur l'autorité de l'hiſtoire de S. Gregoire de Tours, qui mourût en l'anneé 595. lequel a fait le detail particulier de touts les enfans de l'un & de l'autre ſexe de nos Rois, & des Maires de leur Palais, ſans parler d'Ansbert Maire du Palais, ny de la princeſſe Blitilde fille du Roy Clotaire.*
(i) *Ibid. ſub Arnolfo: Pieces fabriqueés par l'ordre de l'Empereur Charles le Chauve.*
(k) *Ibid. ſub Carolo Mart. Je repondray, que quelques flatteurs qui ont commencé le meſtier dont nos genealogiſtes d'aujourdhuy font profeſſion, ont crû, qu'ils obligeroient les Princes, dont ils eſtoint*

estoint les sujets, de les faire descendre par les femmes de la premiere race de nos Roys.

(l) *Ibid. sub Arnolfo. Et ceux qui examineront* AVEC SOIN *l'histoire de sa vie composée par un auteur anonyme, son contemporain, doivent tomber d'accord, qu'il tiroit son origine de la France.*

(m) *Ibid. Cet historien qui estoit presque contemporain de ce Prelat.*

(n) *Ibid. sub Childebrando I. Le terme de* Pater, *est pris pour pere & pour beaupere, celuy de* filius, *pour fils & pour beaufils, celuy de* frater, *pour frere & pour beaufrere.*

(o) *In annalibus.*

(p) *In historiâ Galliæ Tom. I. sub Chilperico ultimo. Comme les Roys sont d'institution divine, & que ceux de France particulierement ne tiennent leur couronne, que de Dieu: la dispense estoit nulle &c.*

(q) *Geneal. discursu Procem. 2.*

(r) *Geneal. Part. 2. sub Roberto Fortì & Eudone.*

(s) *Ge-*

(s) *Geneal. part. 1. ſub Car. Mart. Mais dans les deux premieres races, dont le Roy Merovée, & le Prince Charles Martel ſont les fondateurs, les François ſe ſont touſiours conſervez la liberté & le droit, de choiſis pour leur Roy le Prince ſorty par les mâles du même ſang, qui eſtoit* LE PLUS DIGNE, *de leur commander. C'eſt la raiſon pour laquelle Pepin & Hugues Capet, furent elûs ſelon la couſtume inviolable des François, ſans avoir égard* AUX PLUS PROCHES HERITIERS.

(t) *Tract. de I. N. & G. l. 7. c. 7. §. 6.*

(u) *Geneal. P. 1. ſub Carolo Mart.*

(w) *Puffendorff. cit. c. 7.*

(x) *Geneal. P. 1. ſub Nebelongo I.*

(y) *Ibid. & P. 2. ſub Hugone Magno.*

(z) *Ibid. Part. 1. ſub Nebelongo II.*

(aa) *Ibid. Et le Poëme d'Abbon, ſon contemporain nous ſert de temoignage, qu'Ademare combatît vaillamment en l'année* 889. *avec les Danois, & que ce Roy ſe repoſoit ſur ſa conduite, du commandement de ſon armeé. &c.*

(bb) *Ibid. ſub Roberto Forti.*

X. Chil-

X.

Childebrandus I. aut Pipini Crassi filius non fuit, aut Spurius fuit.

SArnolfo ſerie Merovingiorum exempto, ad genealogiæ Pradianæ novum provehimur cardinem, qui Childebrandus eſt, cui in Pipini Craſſi filium legitimum, S. Arnolfi pronepotem aſſerendo, Bouchetius & Pradius, cœterà in plurimis diverſi, concordem operam locavere, diſpari tamen & hoc ratione, in matre quippe diverſi. Nam Bouchetius Alpaidem aſſignat, eandemq; Fredegarii, aut ejus qui hunc continuavit, autoritate Pipino legitimam junxit uxorem. (a)Alpaidem verò pellicem, ut erat, præterea q; unius Caroli Martelli matrẽ fuiſſe, ita contentioſè perſequitur Pradius, ut facilè appareat, in hoc magnum univerſi operis ſui momentum collocáſſe, imò id unum propemodùm egiſſe, ut Capetinæ domûs gloriam, per Carolinæ depreſſionem

nem extolleret. At non feret istam à Capetinis gratiam, importunus atq; imprudens laudator, experturus nihil se aliud operæ dedisse, quàm ut vel proprium, vel quale ipse in Carolinis censet, Capetinæ gentis opprobrium manifestiùs excat. Rumpantur ut ilia ringenti, fateatur nobiscum necesse est, aut falsò tribui Pipino filium Childebrandum, aut spurium esse, eòq; vel exigendos cum ipso Arnolfinâ posteritate Capetinos omnes, vel redundare in eosdem omninò, quod in Carolinis ludibrio habet, vitiati sanguinis contagium.

Et quidem est nequaquam difficillimi laboris, ut quæ adversarii, quò Childebrandum Pipino filium assererent, in medium protulére, meris verti præsumptionibus, conjecturisq; ostendam. His enim cùm, quod sæpe diximus, & lectori semper mente tenendum est, Pradius in quæstionibus facti, ac præcipuè genealogicis, fidem omnem jam pridem abrogaverit: hoc ipso quæstione in medio atq; indecisâ manente, Childebrandus Pradii ipsius sententiâ, ab Arnolfinâ domo

domo alienus reputabitur, donec contrarium novis documentis dilucidiſſimè comprobetur. Quidquid enim circa natales ejus deblaterent Gallorum genealogi, nituntur unius Fredegarii, aut ejus Continuatoris teſtimonio, qui locis omninò tribus, Childebrandi ſui tenuiter meminit, nunc Martelli germanum, nunc Pipini Brevis avunculum vocans, Pipini Craſſi autem filium nusquam. Ille autem Fredegarius, qui pellicem notiſſimam ſuperſtite legitimâ uxore aſſentandi, ut Pradio damnatur libidine, auſus eſt Pipini Craſſi conjugem dicere, is inquam, Childebrandum Martelli germanum pari fraude facere cur erubuiſſet? Deceptor in uno, fidem in omnibus prodègit. Quidquid ergo circa Childebrandi natales eo teſte hauriendum eſt, id Pradii autoritate, & quoad ipſius in rem facere poteſt, meræ aſſentationi tribuendum, & ſubleſtum eſt, eò magis, quòd cujus à Pradio (erga Martellum ſi rectè conjicio) arguitur aſſentationis, eâdem in rem Mecœnatis ſui Childebrandi abreptum multò vehementiùs eſſe
credi-

credibile ſit. Accedit quòd, ſeu Fredegarius, ſeu Continuator, non coætaneus modò Childebrando, ſed & familiaris, & eo hortatore aut conductore, & remuneratore hiſtoriam ſcribere exorſus (b) non Drogonem modò & Grimoaldum, ſed & Martellum Spurium, & ex Grimoaldo nepotem nothum Theowaldum nominatim inter liberos *Pipini* Craſſi perſecutus ſit, Childebrandum verò inter eos non modò minimè attigerit, ſed ne alibi quidem filium nuncupare auſus ſit. Hoc enim quid aliud notare dicas, quàm Pipino genitum non fuiſſe? Latet nimirum hîc aliquid, quod nec Bouchetius, nec Pradius cum omni ſcholâ ſuâ, quidquid contendant, quidquid vociferent, unquam ſatis eluſerint. Imò conſtabit Fredegario fides ſua, quâ & germanus Martelli, & Pipini Brevis avunculus, nec tamen Pipini Craſſi filius fuerit Childebrandus; ſi modò, quæ hiſtoricus nobis reliquit, ejus ad mentem rectè nec per frivolam atq; iniquam detorſionem metiamur, neq; plus ab eo dictum ſtudio partium pertendamus, quàm

dictum

dictum ipſe voluit. Nam Pradius quidem in ſpeciem, ut Fredegarii fidem, quam tamen ipſe aſſentationis notâ impactâ, ante alios omnes convellit, in tuto ponat, re ipsâ, ut ejus dicta ſenſui ſuo accommodet, omnem à voculâ germani æquivocationem hîc exeſſe jubet. (c) Sed mutabit profectò ſententiam ſi ſapit. Germani enim vox, cùm naturali ac genuino ſignificatu, ac citra æquivocationem ſumpta, fratrem notet, eodem non patre tantùm, ſed & matre eâdem natum: oportebit Pradium largiri, germanum Martelli cùm dixerit Childebrandum Fredegarius, hoc ipſo & Alpaidi filium, & quod ejus conſectaneum eſt, ſpurium dixiſſe. Quin imò id ipſum, ut Caroli verè germanum, ſed ſine ſpuriæ tamen conceptionis infamia Mecœnatem ſuum Childebrandum aſſerere poſſet, intimam ſcriptori aſſentatori rationem fuiſſe, vix dubium quis putet, cur Alpaidem ex pellice legitimam conjugem fecerit. Diſplicet hoc Pradio; diſplicere itaq; non poteſt, germani vocem impropriè hîc uſurpari. Neceſſe inquam

eſt.

est, hunc scopulum vitare si velit, ut agnoscat, vocem *germani* largiter hîc atq; contrà ac ipse velut pro Magistratu prohibet, per æquivocationem sumi, ita ut fratrem velit, vel consanguineum, eodem videlicet cum Martello patre tantùm, vel uterinum, eâdem solùm matre genitum. Jam verò vel consanguineum Martelli fratrem fuisse Childebrandum, vel uterinum, cùm nec Fredegarius definiat, nec aliunde manifestum fiat, quis Pradio jus fecit, ut quod Historicus in medio reliquit, ipse determinaret, juberetq; pro consanguineo potiùs, quàm uterino pronuntiari? Quid autem dico in medio reliquisse? Ipse idem scriptor quando avunculum Pipini disertim nuncupavit Childebrandum, non nisi uterinum Martelli fratrem, eâdem videl. Alpaide matre, nequaquam verò & Pipino patre natum dixit. Tametsi enim avunculi vox per Gallicismum Latinitate declinante, jam tum etiam patruum comprehenderit: sæpissimè tamen & naturali suo significatu mansisse nemo inficiari potest. Stabitur itaq; pro genuinâ
ejus

ejus uſurpatione, quoad res pati poteſt, nec contrarium, quod hîc deſideratur, manifeſtè conſtat. Alpaidem enim vel antequam Plectrudis thorum commacularet, vel poſtea, idq; ſeu vivo atq; dotante Pipino, quod concubinarii ad frugem redeuntes, haud rarò ſolent, ſive poſt fata ejus alteri collocatam, liberos ſuſcepiſſe, donec aliud evidenter oblatum fuerit, ut credamus, quid vetat? Id ſi tanti eſt, ut vel ſolum quidquid cauſæ adverſæ ſtabiliendæ hactenus allatum eſt, ad meram præſumptionem redigere, hoc eſt, in hâc diſceptatione nihili convincere idoneum ſit: jam aliud ſubjungam, quod ita prorſus rem ſe habere demonſtrat, ipſiq; ante omnes Pradio confeſſionem extorquet. Aſſeverat is (d) feroculè admodum, magnâq; confidentiâ, Childebrandum ſub Pipini diſceſſum puſionem fuiſſe, intra primæ infantiæ annos deprehenſum. Ego verò paulò poſt oſtendam, Pipinum cùm diem obiret extremum octogenarium fuiſſe. Aſt cùm virtus genitalis in maribus regulariter anno ſexageſimo ætatis exacto ſoleat deficere:

ficere: etiamsi Pipino lustrum unum adderemus: consequeretur nihilominus, quò filius ei Childebrandus dari queat, quòd cùm Pipinus decederet, aut pubescens iste jam, aut jam non impubes fuerit. Quod cùm in Pradii Childebrandum tum utique pusionem non cadat: alium ei patrem quærere meminerit.

Nolo autem hâc totâ in re, quamvis firmissimâ, contentiosum cum Gallis funem diu trahere, post Chiffletium, qui causæ suæ satisfecit, quemq; Blondellus mactare potiùs prægrandi suo volumine, quàm refellere voluisse visus est. Haud omninò inficetus alienæ sententiæ redargutor, qui id egit, ut adversarium replicare paratum, mole ipsâ immanis libri absterreret, utpote meritò veriturum, ne vitam citiùs, quàm ad singula responsionem exigeret. Nolo inquam, his me multùm immittere, præsertim cum proposito nostro satis sit, spurium Childebrandum convicisse; quod nunc aggredimur.

Et Pradius quidem, ut legitimum faciat, tribus potissimùm rationibus annititur.

titur. (e) Primò, quòd extra controverſiam ſit, Plectrudem Pipino marito usque ad obitum ejus citra divortium convixiſſe, proindeq; præſumendum, omnes Pipini liberos, eosque inter & Childebrandum ex legitimâ uxore ſuſceptos eſſe, donec videlicet ſecus ſe rem habere aliunde alluceſcat. Secundò; quòd Childebrando portio paternæ ſucceſſionis ideo minuta obtigerit, ut argumento ſit, factum id eſſe metu, ne viribus instructus, in fratrem ſpurium ipſe legitimus, jure ſucceſſionis potiore inſurgeret. Tertiò, quòd Fredegarius teſtis ſit, Pipino ex Alpaide pellice, non niſi unicum obtigiſſe filium, Carolum videl. Martellum. Textum verò Fredegarii continuò n hæc verba ſubdit: *Igitur præfatus Pipinus aliam duxit uxorem nobilem & eleantem, nomine Alpheidem, ex quâ genuit ium, vocavitq; nomen ejus linguâ proiâ Carolum.*

His argumentis quantumcunq; in ſpeem, (f) confidere videatur Pradius: in omptu tamen eſt, quò levi prorſus erâ diffluentur. Primum enim quod

 atti-

attinet, illud quidem jura statuunt, *patrem præsumi, quem nuptiæ demonstrant*; hoc est, filium quem uxor peperit, præsumi ex marito legitimè susceptum. Ast qui marito, & notissimo quidem concubinario alicubi tribuitur, matre non adjectâ filius, ut ex legitimâ protinus uxore censeatur susceptus, quantum ego quidem memini, jura hactenus censuere nulla, atq; haud scio, an etiam solâ naturali ratione ita censere jubeamur. Illud probè scio, ne locum quidem huic quæstioni esse, nisi quem legitimum filium priscis silentibus, post tot demum secula fuisse contendimus, vel semel saltem patris, cui addictum cupimus, filius aut à se ipso, aut ab alio quoquam idoneo teste dictus sit. Aliàs enim, ne objectum quidem ullum disputationis habemus. Ast eho! ubi sunt ex omni antiquitate, qui Pipini filium dixere Childebrandum? dic sodes Pradi, si potes, quem laudas afferti tui autorem? Verùm hîc aqua hæret. Germanum enim Caroli pellice nati, Childebrandum qui dixerit, atq; ita quidem, ut uterinum di-

cere voluiſſe tutò credi queat, habemus Fredegarii Continuatorem; Pipini, notorii ſcil. concubinarii filium (ne dum legitimum) qui dixerit, præter te, Pradi cum Bouchetio, & qui ſputa veſtra lingunt, habemus neminem. Quis autem vos ſine teſtibus, de rebus vetuſtiſſimis & incertiſſimis pronuntiantes audiat, tanquam pro antiquitate omni eſſetis, vos inquam, heri & nudius tertiùs natos ſcriptores? An idem fortaſſe vobis eſt, Pipini filium legitimum, quem germanum Caroli dicere? Quòd ſi vel Carolus Pipini legitimo thoro editus, vel Childebrandus Drogonis aut Grimoaldi germanus cuiquam enuntiatus fuiſſet: eſſet fortaſſe, ſaltem umbra illius, quam ſtatuitis præſumptionis. Nunc verò Carolus Martellus ipſe nothus cùm fuerit, aliâ, quàm Plectrude matre genitus, quomodo, qui non alio quàm ejus germani nomine notus eſt, integriore, quàm ipſum concubitu ſatum, pertendetis? Quin imò, ea voculæ *germani* quod jam perhibuimus, ratio eſt, ut ſpurii germanum, quàm patre eodem, tam

& matre eâdem, pellice inquam, natum esse, præsumi debeat, donec mitior sententia aliunde manifestiùs prodierit. Disjectum est igitur assertionis tuæ primum atq; ut haud dubiè credebas validissimum argumentum.

Alterum vix responso dignum, probi quisquam judicii censuerit. Duabus enim causis, multùm à se diversis, duci Martellus poterat, quò tam tenue Childebrando patrimonium impertiretur. Nimirum, vel ut fratri, quod Pradius ait, legitimo, jusq; ad successionem potius habenti, indeq; suspecto, vires recalcitrandi ne accederent, vel quod spurius esset, cui præter alimenta nihil à patre, nedum à fratre quidquam deberetur. Utra ex hisce perinde incertis, apud Martellum militaverit, quânam putèmus ariolandi felicitate Pradio innotuisse?

Nolo autem adversarium hinc dimittere, nisi insignis iterum oscitantiæ ac stupiditatis convictum. Ut primùm enim, de Childebrando ampullari cœpit, ducem eum Burgundiæ, sesquipedalibus propè literis in ipso frontispicio tracta-

tionis

tionis proclamavit. (g) Scatet enim ejusmodi Thrasonicis elogiis liber ejus; per quæ adscititiis Hugonis Capeti majoribus, autoritatem aliquam emendicare à lectore antiquitatis fortè ignaro contendit. At versâ vix paginâ (h) in Burgundiâ ait tenuem tantùm ex hæreditate Drogonis fratris portionem (quæ denique ad Comitatum Augustodunensem reducitur) Martelli concessione fuisse relictam. Ita repente hîc Irus est Pradio Childebrandus, quòd ita usu veniat, qui paulò ante Crœsus audiebat. Res autem ipsa loquitur Burgundiæ ducem non fuisse, hæreditatis utique pro fratre legitimo, & jure ad principatum potiore stipato nimiùm periculosæ, pro spurio nimiùm pinguis & opulentæ. Nam illa quidem etiamnùm potens regio, & cùm ista agerentur, sine controversiâ, facilè dixerim, triplo potentior, inter tenuia sive modica vitæ subsidia computari nequiit, quando etiam ut hodie quidem accisa est, invidiosa nimis, eòq; jam pridem regiis fratribus negata hæreditas censetur.

Jam verò tertium Pradii fundamentum impudentiâ hominis ac temeritate admirabile prorſus eſt. Dum vernaculâ loquitur, aſſerente Fredegario *unum ſolum* ex Alpaide filium, Caroli nomine, Pipino natum fuiſſe ait, (i) teſtemque irrefragabilem hic nominat, quem alibi (k) quòd Alpaidem legitimam uxorem Pipini dixiſſet, mendacii & damnabilis aſſentationis reum agit, ipſe & falſi & aſſentationis plus nimio mox convincendus. Nam teſtis ab adverſario ipſo è veſtigio adeſſe, & latino ſermone, quo ſcripſit, loqui juſſus, aliud nihil deponit, quàm *filium* Carolum Pipino ex Alpaide natum eſſe. At verò, idemne eſt, *filium* natum eſſe ex concubinâ, &, *filium unicum* natum eſſe? Hoc partûs alios maſculos excludit, illud aditum pluribus ex concubinâ pandit. Ecce igitur hic Pradi fidem tuam! Quòd ſi enim in cauſâ per ſe quidem nullius momenti, ſed quam conſequentiarum, quas nectis, periculoſiſſimis ſtrophis Europæ omni fatalem reddere intendis, ſi inquam, tam impudenter abuti audes credulitate, aut igno-

ignorantiâ, aut negligentiâ lectoris tui, ut testimonia in omnium manibus versantia, & à temet mox ritè producta, dum in vernaculam vertis, corrumpere ac temerare non formides: quid putemus actum esse cum iis, quæ libri tui utramq; paginam faciunt, chartophylaciorum vetustissimorum monumentis, queîs solo te sponsore fidem habere jubemur? Quis ista revolvens animo, non detestetur juxtà mecum, factam unicè lectori ludificando hominis vel audaciam, vel vecordiam? Si enim testis tui sensa, ut verba assecutus es, Pradi, nec temperâsti tamen libidini tuæ, quâ regum tuorum palpator damnabilis, orbem ut per falsariam versionem dementes, pruris dic, ubi est frons tua? si non cognovisti nec intellexisti, ubi est mens tua? Hoccine erat, antequam ejusmodi rationum tuarum fœtorem nobis objiceres, *decisivas*, hoc est demonstrativas, seu apodicticas jactare, quæ quavis paleâ faciliùs difflatæ, ruborem quoq; tibi, si quid modò pudoris superest, nullo tempore delebilem injiciant? Pudet me quo-

que, adeo propè nullius aut frontis aut mentis adversarium mihi obtigisse.

Nihilo melioris pretii sunt, quæ post aliquot paginas (l) subjiciuntur testimonia, quæ tametsi directim id solùm spectare videantur, ut plures Pipino filios, quàm qui Fredegario nominati sunt, fuisse convincant: illuc tamen simul etiam pertinent, ut Childebrando inter legitimos locus fiat, quodque ex Fredegario adversùs se paulò post torquendum præviderat argumentum Pradius, infirmetur. Paulum enim Diaconum advocat (m) qui postquam bella Pipini Crassi fortiter gesta enarrâsset, adjicit: *Hic & alios filios habuit: sed ex his Carolus præcipuus extitit, qui ei post in principatum successit.* Pradius hîc nescio, quâ rursum conjiciendi autoritate eruere vult, *alios* illos, qui memorantur, *filios*, non Drogonem fuisse & Grimoaldum, ante Pipinum patrem scil. fato functos, sed incognitos quosdam defuncto superstites, nec Paulo Diacono, nec alteri cuiquam nominatos. Sed ne Argus quidem hunc sensum in verbis Diaconi perspexe-

ſpexerit, planè ut fruſtra hîc glaucoma lectoribus objicere ſatagat, & filios iſtos haud dubiè in ultimis terris Auſtralibus, pariter ac ipſi ſunt incognitis, quærendos dixeris.

Congeminum huic eſt, quod ex annalibus Metenſibus ibidem huc refertur, ſic habens : *Defuncto autem Pipino maxima conturbatio orta eſt in gente Francorum. Nam majores natu filii ejus Drogo & Grimoaldus, ipſo vivente, vitâ diſceſſerant; Theobaldus verò Grimoaldi ex concubinâ filius, adhuc puer erat, qui etſi patri in principatu ſucceſſerat, minimè tantùm regnum dignè gubernare prævalebat. Carolus verò quem* SOLUM PATER DIGNUM *tantæ poteſtatis ſuperſtitem reliquerat, novercales inſidias graviter tolerabat.* Unde Pradius pro ſuâ perſpicacitate hoc iterum elicit, aliis haud perinde obvium, quòd cùm Carolus ex liberis Pipini ſolus dignus Annaliſtæ prædicetur ſucceſſor: fuerint eidem Pipino ſuperſtites & alii filii, iique indigni. Quaſi vero annalibus de filiis tantùm primi gradûs, nec de quibusvis

liberis tractatio esset, quorum scil. nomine tres ex filiis ante patrem morte sublatis nepotes haud dubiè comprehensos, ipse Theobaldus unà adjectus testatur; aut tanquam indignos istos autor hoc ipso legitimos proclamaret, nec spurios unà cum legitimis notatos cuperet, quod tamen & Theobaldus, & Carolus nominatim adjecti, velut manu palpandum præbent. Quin cùm *indignos* successione hoc testimonio præter unum Martellum quoscunq; superstites habeamus Pipini liberos: si quæ annalium fides est, Childebrandum, quem Fredegarius ab industriâ, Pradius à judicio & fortitudine commendat, Pipini filium non fuisse, hoc etiam documento discimus.

Possem disjectis in huncce modum causæ adversariæ fundamentis, & necessitate renovandæ probationis in Pradium rejectâ, Childebrandum jam nunc filium Pipini, aut omnino nullum, aut non legitimum proclamare. Veruntamen, ne solâ Pradii impotentiâ vicisse videamur: addam

addam & illa, quibus noſtra fortiùs ſtabiliuntur.

Ibi verò ante omnes ſe offert Pradio in hâc tractatione toties in teſtem vocatus, ſed eidem nunc è diametro contrarius Fredegarii Continuator. Sic habet iſte: (n) *Poſthæc autem Pipinus Theodericum regem accipiens cum theſauris & domum Palatii, omnia peragens, in Auſtriam remeavit. Eratq; ei uxor nobilis & prudentiſſima Plectrudis, genuitque ex ea filios* DUOS, *nomen ſenioris Drogo, nomen verò junioris Grimoaldus.* Duos diſertim dixit Pipino ex Plectrude fuiſſe filios, & iſto quidem loco, ubi familiam Pipini deſcribendam ex officio putavit. Tertio igitur filio legitimo locus non eſt. Quin ſi is Childebrandus fuiſſet, iſtius hiſtoriæ ad poſteros mandandæ autor, hiſtoricíq; Mecœnas atq; patronus: quis dubitet, à cliente & familiari, & ſcriptore ſeu conducto, ſeu rogato, ante cœteros omnes huic albo inferendum fuiſſe? Non dubitavit ſcriptor nepotes Pipini etiam nothos, à Plectrude per filios deducere, & Childebran-

dum filium, eumq; legitimum, cujus in gratiam filiiq; Nebelongi historiam texebat, præteriisset? Fortiora multò sunt hæc, quàm ut quæ Pradius ex Paulo Diacono, Annalibusq; Metensibus præoccupando ingerere voluit, vim eorum frangere queant. Nec solus est Fredegarii Continuator, qui nobiscum faciat. Consentit Epitomator quoque Gregorii Turonensis, &, *Erat*, inquit, *Pipino uxor nobilissima ac sapientissima nomine Plectrudis. Ex ipsâ genuit filios*, DUOS, *nomen majoris Drocus, & nomen minoris Grimaldus. Drocus ducatum Campaniæ accepit &c.* Qui ingerat, nec dum per ea tempora editum fortè Childebrandum, qui postea familiam augere poterit: nôrit utrumq; testium lustris haud paucis à Pipino vivis exempto sua conscripsisse.

Huic luculento sanè duumvirorum testimonio, subjungo Bouchetii conjecturam, quâ Childebrandum Alpaidi filium dedit, ab exiguo Childebrandi patrimonio ductam, eamq; utut Pradius elevare conetur, firmissimam dico. Quis enim

enim credat vel patrem Pipinum, vel Plectrudem matrem Pipino superstitem, eximiæ, qualem Pradius nobis dat, haud dubiè jam tum spei filio legitimo non opulentiùs prospecturos fuisse, quàm ut à fratre spurio vitæ subsidia velut in stipem expectaret, cùm in cœteros liberorum secundi etiam gradûs, imò nothos, itidemq; pueros, ducatûs, aulæ præcipua ministeria, rerum quoq; summa profunderentur? Nam quod argutatur Pradius, injuriâ Martelli fratris, metuq; potentiæ id factum esse, oppidò jejunum est, & in eo se ipsum jugulat, quando disertus autor est, (quâ fide, ipse viderit) fuisse Childebrando, ab eodem germano suo exercitus integros, non semel omnino ut Fredegarius ait, verùm sæpius concreditos, (o) quod non solemus, queîs potentiæ metu, ex opulentâ, quæ eos manserat, nec regibus impari hæreditate, fortè vix núda alimenta per injuriam reliqua fecimus.

Quid quòd Plectrudis, virago si quæ unquam, ut post fata mariti, vim imperii in Francos tutiùs retineret, atq; in-

vidiam muliebri potentiæ detraheret, Theodewaldum ex filio nepotem, & nothum, & puerum domûs regiæ præfectum esse, vel ipsa jusserit, vel maritum, ut juberet, capulo jam proximum induxerit? præhabitura scil. filio, si quis reliquus fuisset, per ipsam ætatem culpâ omni exempto, nepotem, legitimo nothum? Nemo nisi ipse mentis efferatæ, aut certè nisi rem ita se habuisse, aliunde luculentissimè ostensum fuerit, Plectrudem eòusq; vim naturæ fecisse, materniq; viscera affectûs rupisse dixerit, nepotibus omnia largitam, filii utero suo effusi per omnia adeo oblitam, ut nec umbra habitæ de eo curæ supersit. Frustra hîc iterum Pradius Martelli fratris injuriam prætexat, cujus nulla tum adhuc in republicâ autoritas; imò qui novercæ vinculis constrictus adhuc, ipse languebat.

Quid verò hisce immoror, urgendis. Natura ipsa Plectrudem matrem Childebrando negat. Pusio fuit, quod Pradius constanter asseverat, quando Pipinus ad plures abiit; hoc est, anno seculi

octavi

octavi quarto decimo. Plectrudis itaq; filius esse non potuit. Hæc enim Hugoberti I. Bojorum ducis, ipso fatente Pradio (p) concinentibus Bojorum annalibus (q) filia cùm fuerit, iste verò minimùm anno 644. si non antea vitâ excesserit: Plectrudem ante eum ipsum annum natam, eòq; circa annum 684. aut si quo forte singulari naturæ benignioris gavisa privilegio; saltem paulò post annum 690. effœtam fuisse consequitur. Filium igitur quem eâ matre natum velis, Pipini fata minimùm jam vicennem spectâsse necesse est. At noster iste Childebrandus ultro etiam pertendente Pradio, pusio tum fuit. Ergo aliam sibi matrem, quàm Plectrudem conciliet.

Quin quod suprà jam insinuavi iteratò hîc additum velim, ne Pipini quidem filium fuisse. Nam & iste sub obitum Arnolfi avi, quem vix concedente Pradio (r) qui eum decennio anteriorem facit, annus 641. demum extulit, disciplinæ sanctioris jam per ætatem capax, hoc est minimùm septennis fuit. (s) Hunc si

non

non luſtro ampliùs antè, certè annus ſecularis ſeptingenteſimus, quippe ſeptuagenario proximum, generandi virtute privum dedit. Filium igitur puſionem luſtris inde tribus, quæ Pipinus adhuc exegit, moriens relinquere potuit nullum. Ita & patre excidit & matre Childebrandus, quos ei Gallorum liberales genealogi impertiuntur,idq; Pradio,cùm minimè vellet, maximè argumentum ſuppeditante; & quem Pradius nothum Pipini filium ferre non potuit, jam nullum ferre cogitur. Nimirum talibus ſe irreticulis induunt illi omnes, qui ut aſſentatores regibus ſe præſtent gnavos & doctos, ſplendidam proficuamq; fabulam ſemel præfractè tuendam ſumpſere.

(a) *Gen. P. 1. ſub Childebrando.*

(b) *In diſcurſu procemiali* 1. *Nebelong obligea le Continuateur de Fredegaire d'achever l'hiſtoire de ſon temps, qui avoit eſté commencée par l'ordre du duc Childebrand, où l'amour du Pere & du fils pour les lettres eſt eterniſé, aprés le chapitre* 117.

(c) *Gen.*

(c) *Gen. P. I. ſub Childebrando. Le terme de* germanus *ne fut jamais equivoque.*

(d) *Ibid. Et je ſoutiens, que dans le temps des differents, qu'elle* (Ple&rude) *eut contre le baſtard de ſon mary, pour le gouvernement de l'eſtat, que ce jeune Prince* (Childebrand) *qui eſtoit alors dans* SA PLUS TENDRE ENFANCE, *ne pouvoit aſſiſter ſa mere.*

(e) *Ibid. ſub Childebrando.*

(f) *Mauvais jeu, bon viſage.*

(g) *Ibid* CHILDEBRAND COMTE D'AUTUN, DUC DE BOURGOGNE.

(h) *Ibid. Trois raiſons qui me paroiſſent deciſives me confirment dans cette penſeé &c. La ſeconde, ſur le foible partage qui luy fut donné &c. luy accordá ſeulement en Bourgogne une petite partie de la ſucceſſion de ſon frere aiſné Drogon, pour le tenir plus facilement, dans le devoir & la ſoumiſſion &c.*

(i) *Diſc. Proœm.* I. *Car Fredegaire qui par ordre de ce dernier* (Childebrand) *eſcrivit l'hiſtoire de ſon temps, dit preciſement,*

*cisement, que Pepin n'eut d'Alpheide qu'*UN SEUL FILS. *Et gen. P. 1. in Childebrando : Sur l'autorité du Continuateur de Fredegaire son contemporain, dont le temoignage est irreprochable; qui marque positivement dans le Chapitre 103. de sa Chronique, que le Duc Pepin ne laissat d'Alpheide, qu'il luy donne pour seconde femme, que Charles Martel* SEULEMENT.

(k) *Gen. P. 1. sub Pipino: le continuateur de Fredegaire, qui à finy son ouvrage en l'anneé 752. au commencement du Regne du Roy Pepin a donné par* UNE LASCHE COMPLAISANCE, *pour seconde femme au Duc Pepin, Alpheide mere du Prince Charles Martel.*

(l) *Ibid. sub Childebr.*

(m) *Hist. Longob. lib. 6.*

(n) *Cap. 100.*

(o) *Gen. P. 1. sub Childebr. Ce Prince fut recommandable par son esprit & par sa valeur, & Charles Martel son frere luy confia plusieurs fois la conduite de ses armées, & l'opposa souvent*

vent aux forces & aux entreprises des ennemis de l'estat.

(p) *Disc. Proœm.* 1. *sub Pipino, & geneal. P.* 1. *sub eodem. Addatur ejusdem Historia Galliæ sub Theoderico II. ubi bellum Bavaricum à Plectrude excitatum & Hugoberti II. ducis institutio referuntur.*

(q) *Historia Boica Adelzreiteri ad ann.* 645. & 646.

(r) *Gen. P.* 1. *sub Arnolfo & in Historia Galliæ, sub rege Pipino.*

(s) *Insigne Fragmentum, quod de gestis Pipini Marquardus Freherus Fredegarii Chronico adjecit. Erat ei* (PIPINO) *agnatione propinquus quidam vir Arnolfus nomine Metensis Episcopus. Ipse illum nihilominus sacris monitis divinis & humanis frequentissimè, ut ad potiora convalesceret, roborabat disciplinis. Ille verò non tardus auditor in cunctis se feliciter mandatis & justificationibus Domini exercebat.*

XI. *No*

XI.

Non liquet Nebelongum secundum fuisse filium Eccardi.

HAbemus itaque Childebrandum aut extorrem domo Arnolfinâ, aut spurium, cui non modò, quò tantò expeditiùs ex molesto hoc pelago emergamus, Nebelongum I. Childebrandum II. & Eccardum, filium, nepotem, pronepotemque esse patimur: sed & quæ in rebus eorum hinc inde obelo digna se obtulerunt, missa facimus. Ast Nebelongum, quem secundum dicit, Eccardo filium pariter cum Pradio dare, integrum non est, quòd hominis proterviam in circumveniendis lectoribus, & præposterum judicium in probationibus texendis pandere, eximiè idoneus sit. Nec enim, quò id ritè asserat, ullum promit documentum, scriptor per omnia subleстus, præter tabulas testamenti Eccardini, quas, quoad in Chartophylacio Patriciacensi extare dicit, Genealogiæ parti posteriori, sub rebus Roberti Fortis inseruit. Piget instru-

instrumento, quod nisi Pradius perperam huc transtulisset, ne hilum quidem ad nos attineret, ex integro huc transscribendo, & chartam & operam perdere, lectoriq; styli barbarie nauseam objicere. Ne tamen cum injuriâ Pradii hoc agere videar: illa saltem, quæ seu juvando ipsi, seu refellendo facere possunt, per fragmenta ut subjicere ausim, lectoris patientiam exoratam velim. (a)

Initium verò in hæc verba fit: *In Christi nomine, ego Heccardus cogitans humanum casum fragilitatis meæ, ideo mihi visum fuit, ut res meas, quas hæreditavi, & acquisivi, cum omni substantiâ, ut pro salute animæ meæ, & genitoris mei Hillebranni, seu genitrice mea Dunnane, germanoq; meo Theoderico, nec non & uxoribus Albegundis & Richildis &c.*

Ex hisce, (nec enim fastidit interpretem, tam elegans opus & concinnum) collegeris testamentum ab Eccardo ad pias causas conditum, more piarum fundationum exordium tulisse, ab eorum recensione, quibus ad animæ salutem, prodesse testator volebat. Illi esse solent paren-

parentes, fratres, conjuges, liberi si qui sunt aut fuére. Et Richildim quidem, quam inserit, uxor legatum deinde relictum & donatio inter vivos, de quâ suo loco, unà cum marito post testamentum hoc conditum facta, tum adhuc in vivis fuisse, evincunt. Sequitur mox:

Ut in manibus viris istis mea eleemosyna commendâssem, quod ita & feci. Idem dominus Leutboldus, Engelboldus, Winctarius, Lividinus, Otgarius, Betillo, Vulgis, Adelingo, Ildeboldo, Eriberto, Dudino, Eribrando, Actefredo Presbyteros, & Nivelongo atq; Theoderico germano suo, ut sicut per instrumenta Kartarum vobis tradidi &c. ut ita disponatis, sicut in ipsis insertum est, pro salute animas nostras, ita agite, sicut ante tribunal Christi reddituri sitis rationem &c.

Oedipo vix non opus est, ut hîc nominari executores testamenti Presbyteros tredecim, laicosq; duos, & hos quidem Nivelongum quendam fratremq; ejus Theodericum intelligas. Post interjectas deinde execrationes contravenientibus intentatas prosequitur:

Nec

Nec verò peto Karitati vestre, ut istiusmodi nostram consumpstantiam dispensetis, eà verò ratione, si DEUS nobis filium aut filiam non dederit.

Voluit nimirum testamento quo extraneos hæredes (*pauperes*) instituturus erat, vim nullam esse, si quo casu ex conjuge Richilde liberis augeretur. Dehinc monasterio Floriacensi legat villam Patriciacum Balgiacum vicum ædis S. Andochii, aliaq; aliis, tum monasteriis tum templis, familiaribus etiam suis, conditq; anniversariam post fata commemorationem. Richildi etiam uxori nonnulla sacræ supellectilis domesticæ in usum, deinde libros, sacra lipsana, & alia amicis attribuit, nec Adanam germanam præterit. Inde pergit:

Theoderico aut Richardo filio meo donate spada spansigil, & sicusios duos.

Theodericum aut Richardum nonnisi unum fuisse virum, etsi Pradius duos faciat, tum vocula, *aut*, tum singularis numerus voculæ *filio*, imò & gladius numero unus, & sicusiorum par itidem unum (eo enim numero sicusii mox etiam aliis legan-

legantur) indicare videntur. Binomines verò etsi apud priscos rari essent; non tamen nulli erant. Nam ex Hugonis Capeti fratribus, alter Eudonis Henrici nominibus notus est; & quòd nomina eorum, ut hîc fit, disjunctivè efferri receptum aliquando fuerit, inter alia demonstrare etiam potest, Mantuanum diploma, Gabrieli Bucelino (b) allegatum, Adelberto Ottoni Atestino tributum, quod in hæc verba incipit: *Adelbertus qui & Otto, filius Ottberti, qui & Sigefridus &c.* Suspicamur verò meritò, si verba ista, qualia Pradius dedit, constent, ac filius Eccardo Theodericus iste Richardus fuit, naturalem tantùm fuisse, idque ex hujus testamenti tertio quod exhibuimus fragmento. Illo enim testamentum ruptum declaratur, si quo casu testatori liberi nascerentur. Par autem ratio jam natorum legitimorum fuisset. Cui accedit, quòd ne legato quidem aliquo notabili auctus sit. Quòd si Pradio displiceat, hunc Theodericum suum, quem deinde Comitem Augustodunensem, & lineæ Burgundicæ secundariæ

dariæ propagatorem facit, nothum haberi: per me licebit, cùm legitimus & genuinus haberi nequeat, ut qualemcunq; vocabulo filii æquivocationem inesse contendat; quorsum facere potest, quòd & ipse alibi filium nonnunquam pro genero sumi affirmaverit, nec repugnet Eccardo generum fuisse, seu filiæ jam tum sine liberis præmortuæ, seu privignæ maritum. Quin verò etiam susceptio ex sacro fonte baptismatis, filiationem inducere solet. Si cui verò hæc omnia minùs arrideant, patiemur hunc testatoris locum falsi suspectum esse, & in voculâ *meo* fraudem latere, legatumq; alternativum hîc descriptum, quod vel Theoderico, vel per substitutionem, Richardo filio *ejus* relictum sit. Autographum inspicere non licet; adversùs Pradium verò suspicari meritò omnia licet. Ait porrò:

Terico filio Nivelungo spada Indica & sigusios duos, & tabulas Sarracinistas, Ademaro fratri suo speudo uno, & cano, & seugios duos, Heccardo filio Heccardi

 tabu-

tabulas corneas, & pacto salero, & sigulos duos, & sparvario uno &c.

Ambigua hîc lectio est, fueritne Terici filius Nivelungus, an Nivelungi Tericus. Illud etiam an Tericus & Theodericus synonyma sint, meritò dubites, cùm Theoderici nomen his aliàs in tabulis citra contractionem perpetuò legatur. Cæterùm confirmatur hîc, quod paulò antè monuimus, sigusios duos singulis legatos. Distribuit deinde Eccardus nonnihil iterum utensilium, tum equos vestesq; & arma, & falcones amicis, & Carolo Calvo regi, qui Senioris nomine venit, & Theutbergæ Lotharii Lotharingiæ regis conjugi. Post quæ singulatim disposita in genere de rebus suis ita pronuntiat:

Et omnia quæ remanent, tam mobile, quàm immobile, dispensate per pauperes, & cui debitum aut minùs factum habemus.

Clausula hæc hæredis institutionem continet, bonaq; testatoris pauperibus destinat; æs etiam alienum solvi jubet. Superadduntur tamen exinde nonnulla adhuc prioribus legata, libri etiam, qui

Bernardi

Bernardi fratris fuerant, legantur. Extrema deniq; tabularum ævi injuriâ, ut Pradius perhibet, desiderantur, unde & dies & annus, quo hæc acta sunt, intercidit. Indicio tamen Ansegisi Senonensis Archiepiscopi, cujus inibi mentio est, quiq; Ecclesiæ suæ ab anno 871. usq; ad annum 883. præfuit, Pradius ad hocce annorum intervallum referendas esse arguit. Mihi ante annum 875. conditæ videntur, argumento donationis inter vivos, quâ testator anno isto, earum rerum, quas testamento sub conditione, si liberi non nascerentur, legati nomine, hoc est, revocabiliter, reliquerat, dominium ipsum inter vivos, reservato solùm usufructu in Floriacense Monasterium, irrevocabiliter, ac citra conditionem contulit; (c) haud dubiè, quòd spes prolis intereà decollâsset.

Nunc verò lectorem meum etiam ex ipsius sinu Galliæ venientem, modò sapiat, & animi æquitate adversùs præventiones populares munitus accedat, conventum velim, hos ut testamenti textûs selectos (nec enim alii huc pertinent)

mecum volvat, revolvat, palpet, scrutetur, numne aliquem ibi Nebelongum, Eccardi quidem filium deprehendere sit. Nebelongum enim ostentant Theoderici alicujus fratrem; Nebelongum itidem Terici (ut hoc largiar) atq; Ademari patrem. Ast Nebelongum Eccardi filium, qui ex his tabulis, quales Pradius eas nobis exhibet, eruere queat, næ! illum ego lynceos habere oculos prædicaverim. Quin potiùs, si propè succeesseris, testamenti hujus omnia innuunt, suadent, jubent, ut filium, maximè ejus nominis Eccardo omninò nullum fuisse teneamus.

Primò enim cùm ad pias causas conditum esse palàm sit, & mox à fronte enumerentur, quorum ad salutem testator quæ sancit, proficere velit, quos inter & uxores, & fratres invenire est: filiorum tamen ne generalem quidem, nedum Nebelongi alicujus vel tenuissimam mentionem ibi reperias. Et liberorum tamen in ejusmodi pietatis officiis post parentes ac conjuges prima semper ratio, certè præ fratribus haberi solet, eamq;

eamq; consuetudinem apud priscos testantur tabulæ piarum collationum, Caroli Calvi (d) & S. Guilielmi (e) quas ipse Pradius nobis suppeditat.

Deinde filios, quos hæreditas expectat, testamento, quo iidem præteriti sunt, executores dare, inter quos tamen Pradii Nebelongus recitatur, etsi legibus fortè aliquo casu non repugnet, rarissimum tamen est, proinde nec aliter admitti potest, nisi probè de eo constiterit.

Tertiò qui hîc Nebelongum Theoderici fratrem, alibi Terici patrem, expressim laudat testator, isne filium suum multò expressiùs eundem Nebelongum non dixisset, siquidem filius fuisset? Ferit à primâ ipsâ fronte intellectum, testatori filium quem esse, & primogenitum quidem, & in paternis ultimæ dispositionis tabulis, confidentiâ etiam demandatæ executionis, attamen ne semel quidem filii nomine honoratum.

Quartò; Adanam sororem, Theodericum etiam & Bernardum fratres, seu vivis exemptos, seu minùs, sororem

fratresq; sibi fuisse, qui non dissimulavit: quî dissimulâsset Nebelongum filium sibi fuisse, si quidem ex vero talem laudare potuisset?

Quintò; quantumcunq; testamentum ad pias causas legum rigore in multis exemptum: ad exclusionem tamen liberorum legitimorum conditum, nullitatis aut inofficiosi notâ non eripi, & à liberis expugnari posse, notum est. Natura ipsa improbat tales patrum largitiones, charitas ordinata prohibet, Scriptura ejusmodi beneficos parentes ethnicis pejores declarat, neq; leges Salicæ probant. Hîc verò neq; Nebelongus, neque alius quisquam liberorum hæres institutus, at ne hæres quidem nominatus est. Nihilominùs testamento suum vigorem constitisse, Patriciacensis in Burgundiâ Prioratus, qui ejus beneficio debetur, hodiernum testis est. Quid restat igitur, nisi ut liberos Eccardo nullos fuisse, hinc quoq; concludamus?

Sextò; insolitum etiam est, ut parentes liberis extantibus, bona sua in pauperes omnia erogent; imò nisi liberis in

id

id condeſcendentibus etiam illicitum ac nullum. Notum eſt S. Arnolfum id meditatum, filiorum aſſenſum expetiiſſe, Ansberti etiam conſecutum eſſe, ſed à Clodulfo natorum altero prohibitum. Conſenſûs porrò filiorum ab Eccardo impetrati, in hiſce tabulis, quod tamen omninò decebat, nec volam quidem nec veſtigium deprehendere eſt. Inferre itaq; iterum licet, filios Eccardo nullos fuiſſe.

Septimò; cohors integra legatariorum teſtamento inſerta cùm ſit, maximam partem extraneorum, quos inter ne vilis quidem familiarium, quos ſervientes vocat teſtator, turba oblivione tranſmiſſa, imò & filio Nebelongi honor legati habitus eſt: quis credat Nebelongo ipſi ſaltem inter hos, ſi minùs inter hæredes locum futurum fuiſſe nullum, ſi filius teſtatoris fuiſſet?

Deniq; tertium quod tranſcripſimus tabularum fragmentum perſpicuè docet, Eccardo filium non fuiſſe. Quid enim opus erat vires teſtamento velle demptas, in caſum, quo hæres ſuus naſceretur, ſi jam natorum, quorum eadem eſt condi-

tio, cura nulla habita? Imò qui necdum natis proſpectum voluit, quî jam natis, in quos parentes affectu vehementiore ferri ſolent, non proſpexiſſent?

Nec ſolæ ſunt teſtamenti tabulæ, quæ Eccardo filium legitimum fuiſſe negent. Præſtò eſt & donationis inter vivos factæ inſtrumentum, non pridem nobis ex Pradii genealogicis allegatum. Illo enim non res modò teſtamento jam legatæ, ſed prædia etiam cœtera in monaſterium Floriacenſe piâ largitione transferuntur, nullâ liberorum ſeu vivi eſſent, ſeu fato functi mentione. Eorum certè poſt parentes atq; uxores præ fratribus atq; ſororibus primam decebat eſſe memoriam, inter eos, quorum ſaluti tam pio opere conſultum eſſe debebat. Eorundem prætereà ſi minùs conſenſum, ſaltem teſtimonium tantæ largitioni accedere congruum erat. Et tamen fratres cum ſororibus locum ibi & ſui memoriam invenere, filiorum nulla cura fuit. Et novem teſtium ſubſcriptione munita cùm ſit donatio, inter eos ne unum quidem Nebelongum aut Theodericum ex filiis,

filiis, nedum Tericum, Ademarum, aut Aledranimum aut Adelelmum ex suppositititiis nepotibus, sed extraneos meros conspexeris. Undè clarissimum exit, quàm nec filius ei legitimus, nec inde nepos fuerit.

Patet igitur parùm à me dictum, quando non liquere dixi Nebelongum Eccardo natum esse. Quin potiùs dicendum erat, liquere natum inde non esse. Ut tamen constaret Pradio, quàm non invidi futuri essemus, si quibus fortè rationibus erigendi hoc loco causam suam, nobis nihil officientem, aliunde sibi prospicere posset: maluimus calculum decretorium suspendere, invitare etiam ultro adversarium, quò rebus suis meliùs consultum vellet. Idque maximè cùm nobis hactenus satis esse queat, prætensionem in ambiguo collocâsse, ut quibus eo ipso salva res sit.

Neu verò causetur Pradius, forsan aliunde jam Nebelongo & fratribus ab Eccardo patre ita prospectum, ut testamento adversari jure nequiverint. Ut enim illud non moveam, decuisse hoc ipsum

tabulis inſeri, ut ne præteriti viderentur: reddam ſimpliciter totidem propè verba: *forſan proſpectum non fuiſſe.* Neq; enim fortuiti atq; poſſibiles tantùm caſûs locum hîc inveniunt, ubi non de tigno juncto, aut ſtillicidio, aut ſuggrundis vitilitigatio eſt, ſed de ſalute tot populorum agitur, in quorum capita Pradius improbis conſecutionum ſuarum impulſibus fabam exitialem cudit. Argumentis perſpicuis & efficacibus, non inanibus atq; vaniſſimis conjecturis nitendum eſt, ut Capetini reges à majoribus deducantur illis, qui Gallorum perverſâ quidem jurisprudentiâ, adverſùs octo pluriumq; ſeculorum alienas poſſeſſiones in ultimos usque nepotes transmittere potuerint. Quare nec ad comitatûs ab Eccardo forſan adminiſtratos, Pradio recurſus hîc patet, tanquam filios in illis ſucceſſores habuiſſe ſatis fuerit, ad teſtamentum inofficioſi vitio abſolvendum. Præterquàm enim, quòd ejus nihil legitimè ad nos pervenerit, & quæcunq; præter res legatis expreſſas in bonis teſtatoris fuere, in pauperes univerſim, ac nominatim

tim res soli dividi jussa sint: de Comitatibus id etiam notum est, quòd beneficio regum illi venerint, & tum quidem nequaquam ut hodie ferè in patrimonium ac hæreditates imputandi, sed officia mera publica ac dignitates fuerint. Aut si secus; & tum quoq; id ipsum ita actum esse, ut filiis cœteroqui præteritis in hæreditatem venirent, testamento exprimendum erat. Ut taceam, quod infrà exequemur, Eccardo ne fuisse quidem Comitatum Augustodunensem, aut Matisconensem, aut cum Morivense Cabillonensem; sed in singulis prædia tantùm modica, quæ diximus, majorem partem in Floriacenses collata, & à Pradio falsò pro Comitatibus venditata.

Ejusdem prorsus farinæ esset, si ad ea quæ deficiunt tabularum extrema confugium Pradio dirigeretur, ut quæ nisi annorum injuriâ intercidissent filios forsan hæredes nuncupatura fuissent. Forsan enim & nuncupatura non fuissent; tum verò ejus probatio diserta atq; dilucida ad Pradium actorem revertitur; ut ne dicam hæredum universalium institu-

ſtitutionem jam præceſſiſſe, quos inter nulla Nebelongi memoria. Poſſent fortaſſe incerta iſta in ſpeciem ſaltem oggeri, dum aliunde apparuiſſet, Nebelongum aliquem Eccardo natum fuiſſe. Aſt hîc hæret Pradius, cui præter unum hoc, & quoad hanc litem inane prorſus, quin ſi ritè verteris, producenti ipſi ad exitium usq; cauſæ ſuæ contrarium teſtamenti Eccardini teſtimonium aliud non eſt, quod producere poſſit.

Nunc igitur iterum per fidem tuam te volo Pradi, quâ fronte auſus es, lectorem adeo tibi vilem polliceri, ut animadverſurum non crederes, quem ſibi fucum porrigerent tabulæ iſtæ tuæ, quibus aliquot operis tui paginas commaculâſti, nec niſi barbariſmis, (ſapis mehercule! putâſti enim fore, ut horum fœtore abſterritus lector perſequendis & attentiùs excutiendis citò ſuperſederet) opplêſti! Aut ſi iſtud minùs tibi curæ erat, quonam judicio auſus es ad ſcribendum prodire, ſcriptor malè auſpicate, ac inprimis miſerabilis, ut regiam, quam ſiniſtrè auctam volebas gloriam, inani-

manibus istis, quæ in nos jactabas terriculamentis pessundares potiùs, quàm erigeres? Habet sanè Christianissimi Capeti progenies ingentia sinceræ probæq; gloriæ domi suæ argumenta, nec eget, mihi crede, aliundè emendicatis istis tuis ac ementitis coloribus, quibus tu, tuiq; similes jam per se lucidam atq; fulgentem, per se clarissimam & eminentem, corrumpere infelicissimi laudatores sustinetis. Surget profectò, haud fallor, & improbis malè palpantium artibus, docta, quàm in vicinos invidiæ sint, quamque Galliæ ipsi in exitium vertere queant, malo artificum, modum aliquando, finesq; circumponet.

(a) *Extant hæ tabulæ Geneal. P. 2. sub Roberto Forti.*

(b) *Notitiæ genealogicæ Germ. pag. mihi* 39. *ubi de Agilolfingiis agit.*

(c) *Geneal. P.* 1. *sub Eccardo.*

(d) *Gen. P.* 2. *sub Roberto Forti.*

(e) *Gen. P.* 1. *sub Theoderico.*

XII.

Non liquet Nebelongum II. patrem fuiſſe Roberti Fortis.

NUno demum ad Robertum Fortem accedimus, Saxonici, hoc eſt, Teutonici ſive Germanici Transrhenenſis generis virum, Galliæ, cui vel ipſe, vel pater ſe addixerat, ſuo ſeculo Achillem, in quo hanc genealogicam disquiſitionem ſiſtemus. Nam illum Hugo Capetus, & qui hunc ſecuti ſunt, Galliarum reges ex ordine omnes, ſine controverſiâ genearcham ſibi vendicant. * Hunc autem Nebelongo II. in filium attribuit Pradius (a) quò per eum Capetina domus, Childebrandi I. inde S. Arnolfi proſapiæ, deniq; & Merovingiis inſeratur. Incaſſum id quidem, etiamſi Nebelongo II. eum largiremur, cùm & S. Arnolfus & Childebrandus I. jam pridem, & noviſſimè Nebelongus iſte à Merovæi progenie, certè legitimâ, exturbati ſint. Dabimus tamen Pradio, in mantiſſam, ut hîc quoq; fruſtra fiat. Aſt hoc pacto mare

mare tædiorum ingredimur; non quòd ullius in refellendo egeant laboris, quæ magno numero, quàm operosè, tam vanè congerit fabulæ suæ adjumenta: sed quòd ea veluti massam informem ac rude chaos in medium projecerit, curâ velut ad se nihil pertinente, in lectorem ablegatâ, ut verset seligatq;, & in qualemcunq; argumenti speciem efformet, atq; connectat. Mantes igitur propemodùm ut accedat, opus est, quicunque hanc sibi provinciam sumit. Nec alibi magè se prodit, quàm destinato Pradius consilio, quæ malæ causæ opitulari jubet, omnia cruda indigestaq; proponere soleat; abigendis scil. à limine insulsâ farragine, quibuscunq; rem penitiùs introire volentibus. Cùm enim in lectore (qui quantumcunq; ingenio valens, Davum tamen se, quàm Oedipum profiteri semper mavolet) omni supervacuo labore nauseâq; eximendo præcipuum scriptoris studium collocari deceat: hic noster illuc omni nisu contendit, ut ubi plurimum lucis & distinctionis esse refert, ibi plurimum confusionis atq; caliginis

liginis afferat. Agmen autem integrum quatuordecim autoritatum in arenam produxit. Tantæ molis erat, nihil agere. Aggrediemur itaq; ſecuri ſucceſsûs Daricum milium, & ſingulis, quò ex Pradii mente pertineant deſtinandis, operam primam eamq; potiſſimam collocabimus. Dehinc aurâ jam faciliore provecti, quî inter ſe cohæreant, aut hient, exequemur. Deniq; nihili eſſe palàm convincemus. Hæc tamen ſtrictiſſimè, ne pari ac Pradius urbanitate, lectori graves ſimus. Quare non vacat nobis, quod illi, ut quæ legenti in diffuſa trahendo corraſit documenta ex integro huc transſcribamus; contenti, illa tantùm ex ſingulis dediſſe, quæ in quoq; ad rem facere, viſa fuerint.

Et prima quidem in acie ſtatuit Caroli Calvi donationem, quâ agri Morivenſis, ſeu Caſtinenſis partem modicam in Monaſterium S. Dionyſii Pariſiorum, ex cujus chartophylacio, quod extare dicitur, inſtrumentum depromptum eſt, collatam legimus. Hujus nihil huc quidem ſpectat, præter ſequentia: *Attribuimus*

imus ei forestam piscationis atq; venationis, tam infra, quàm extra Votuo, ad ipsam potestatem legaliter, & justè pertinentem, sicut nunc usq; Widricus comes atq; fidelis noster, sub suà donatione ac ordinatione tenuit, & temporibus Domini ac genitoris nostri Ludovici; nec non & excellentissimæ memoriæ Karoli Imperatoris, Hildebrandus quondam, ac postea Achardus filius ejus tenuisse comprobantur. &c.

Si rectè conjicio (semper enim cum Pradio conjiciendum est) eò solùm hoc pertinet, ut discamus Eccardum quendam Childebrando aliquo natum esse; quod tametsi ab hoc loco alienum prorsus sit: nequaquam tamen inviti damus.

Altera autoritas testamento Eccardino, venusto scil. illo, constat, quod superiori capite per fragmenta dedimus. Id verò illuc spectare vult Pradius, tum ut Nebelongum II. Eccardo natum deprehendas: tum ut eidem Nebelongo filios Tericum atq; Ademarum fuisse discamus. At priùs quàm bellè ex his tabulis exierit, palàm jam est. Alterum quod

quod attinet, nil quidem est, cur Nebelongo alicui Gallo filios Tericum atque Ademarum invideamus.

Tertium hujus miserrimæ concatenationis articulum præbet Abbo poëtaster, quem alibi laudavimus, concinni scil. carminis fabrum, qui Theoderico cuidam fratrem jungit Aledramnum barbaris his versibus:

Namque triumphantes fratrum prosit geminorum,
Fama fuisse Theoderici, procerum est Aledramni.

Persuasum nobis hîc cupit Pradius hujus versificatoris Theodericum, eundem esse, quem Eccardinæ tabulæ Tericum, Nebelongi filium prodidere. Quod quidem dabimus fortasse, ubi demonstratum dederit Pradius, non nisi unum istius ævi per Galliam numeratum Theodericum, eundemq; ab Eccardo per nominis contractionem Tericum fuisse dictum; aut ubi aliis saltem adminiculis ad causam facientibus huncce nostrum eundem, quem Eccardinum esse comprobaverit. Cœterùm fratrem isti, quis ille-

cunq; demum fuerit Aledramnum largiri possumus. Quòd si Aledramno pariter Ademarum testimonio idoneo junxisset Pradius, ut & Eccardi Tericus, & Ademarus in Aledramno hoc velut tertio fratres concurrissent: similitudine saltem aliquâ, Nebelongo cuidam in filios unà omnes asseri viderentur. Ast hîc hiat series ista Pradiana. Aledramnum porrò hunc eundem cum altero illo esse, quem alibi (b) Pradius comitem Laudunensem cœnobii Dionysiani benefactorem, & Ludovici Balbi propinquum fecit, per nos demum licebit, quando itidem unum modò inter Gallos Aledramnum istius ævi evicerit, aut certè alia, quæ cum Aledramno Theoderici fratre benefactorem illum Dionysianum combinent, argumenta in lucem prodierint. Quin si id daremus: nihilò plus inde in Pradii causam redundaret. Nam propinquitas illa regia, quæ Aledramnum Ludovico Balbo junxit, quâq; Pradius agnationem per Carolum Martellum & Childebrandum I. in utrumq; diffusam captare videtur, oppi-

do

dò parùm huc confert. Generica enim propinquitatis vox nisi alia adsint, ad agnationem se restringi nequaquàm irrefragabiliter patitur, & Ludovico Balbo per matrem atque uxores & sorores non unius generis propinqui esse potuerunt. Juliofridum Monasterii cujusdam Abbatem M. Caroli propinquum dictum fuisse, sequens caput aperiet, quem tamen agnatum inde nemo pronuntiaverit.

Ast illud etiam Pradio condonare nequeo, quòd ope hujus donationis Dionysianæ fucum nobis facere, & Aledramnum in Nebelongi filium, Adelelmi fratrem asserere pergat, argumento, quod manifestè totum ficulneùm est. (σ) Ductum enim se inde profitetur, quòd & Nebelongus, & Adelelmus eam Aledramni munificentiam suo consensu firmârint. Nam ut taceam quòd ex nudo consensu præstito, cujus multiplex esse potuit ratio, nec paternitas, neq; fraternitas ulla consequatur: illud etiam protervum hominis ingenium singulariter denuò prodit, quòd intercessisse consensum affirmare audeat, nullâ prorsus vere-

verecundiâ neq; curâ, quòd falsitatem asserti, oculis ipsis suis è vestigio deprehendere cuivis lectori facillimum sit. Extrema enim tabularum sic habent: *Ut autem hæc mea donatio firmior habeatur, & veriùs credatur, eam manu propriâ signavi. Signum Aledramni comitis. Datum Kalend. Maji anno* 11. *regni Domini H. Ludovici regis gloriosissimi. Signum Deodati Monachi, qui hanc donationem de manu meâ accepit. Signum Leutonis comitis. Signum Widrici comitis. Signum Nivelongi comitis. Signum Adalelmi comitis.* Nemo hîc nisi testis purus ac putus, isq; simplex, quod priscis ad singula instrumenta solenne fuit, se in conspectum dat. Consensûs interpositi ne gry quidem comparet. Ecquid amabò Aledramno de suo largienti alieno assensu opus? aut si quid ejus tandem erat, cur unius Adelelmi, nec fratrum, quos ei Pradius dat, reliquorum? Vanissima sunt hujus scriptoris figmenta, quibus lectorem dementare laborat. Si quævis nuda subscriptio consensum infert, & paternitatem & fraternitatem: certè &

Leuto

Leuto & Widricus comites, Aledramno patres fuere & fratres, eò magis, quòd in ſubſcriptione locum etiam priorem teneant. Ipſe paſſim Pradius exempla ſuppeditat præſtiti conſenſûs, at in formam longè aliam ſanè concepti. (d) Nihil eſt igitur in iſthoc ſcriptionis genere, quod cum turpiſſimâ Pradii impudentiâ conferri queat, quâ ſuperiores Galliæ genealogos haud dubiè longè poſt ſe omnes reliquit.

Quartam autoritatem facit Chronologiſta Abbatiæ S. Benigni Divionenſis, qui Ademari cujusdam latifundia per Galliam circa annum ſecularem nongenteſimum in hanc formam enumerat: *Extitit eo tempore Ademarus quidam illuſtris vir ex Senatoribus, multas habens poſſeſſiones, tam in Divionenſi pago, quàm in aliis regionibus, ſcil. Turonenſi, Aurelianenſi, Senonico, Antiſiodorenſi, Tornodurenſi &c.* Huic autoritati conjunctum eſt, quod quinto mox loco ſubſequitur nſtrumentum piæ collationis ab Ademao eodem & uxore Lampagiâ in S. Benignum quem diximus, facta, ut Pradius

com-

computat 901. idq; in hæc verba desinit: *Actum Divione Castello publicè. Signum Ademari & uxoris ejus Lampagiæ, qui hanc donationem fieri & firmare rogaverunt. Signum Eliranni nepotis Ademari, qui consensit. Signum Roberti fratris ejus. Signum testium Gisleberti Vicecomitis &c.*

Quod binis his nullo operæ pretio huc productis testimoniis Pradius intendere videtur, id quidem ferat licebit, Ademarum scil. aliquem è Galliæ proceribus prædivitem opum fuisse. At quid hoc ad nos? Gratis verò etiam dare possemus Ademarum hunc eundem cum Nebelongi Ademaro convenire, utpote nihil nobis, per ea quæ hucusq; demonstravimus, incommodaturum. At nullis tamen id omninò documentis à Pradio quidem verisimile redditur. Quin Elirannus nepos, & Robertus sive Eliranni, sive Ademari frater, (ambigua enim lectio est) apertè convincunt, ad Nebelongi Ademarum non pertinere. Nec enim constat ullum huic Elirannum nepotem fuisse, & qui Ademaro frater à Pradio tribuitur Robertus Fortis, quinque mini-

mùm & triginta antè annis bello occubuerat, quem profectò novus Thaumaturgus noster à mortuis, ut huic instrumento nomen adjiceret, frustra revocaverit. Alter autem hujusce filius Robertus, Eudonis frater, qui Pradii autoritate Nebelongo ex Ademaro filio nepos datur, Elirannum nullum, sed quem diximus, unicum Eudonem fratrem numeravit. Neuter itaq; horum huc pertinet. Sed nec ulli ex cœteris Ademari adscititiis fratribus filium Roberti nomine fuisse, ipsa Pradii genealogia loquitur. Tres enim omninò ista Robertos exhibet, duos quos modò enumeravimus, & tertium hisce majorem Nebelongi I. ex Theodeberto filio nepotem, qui nisi rursus admodum ridiculè huc referri non posset, & omninò inter collaterales ascendentes Ademari, non inter nepotes collocandus esset. Insigni itaq; documento est hic locus, quàm vanum sit, à nominum identitate, quod Pradio solennissimum est, ad personas arguere. Habemus verò, quod benè vertat, jam manifestè Ademarum aliquem magno apud

Gallos

Gallos loco natum, nec tamen Nebelongi filium, id quod Pradio oppidò incommodabit.

Nam ut Nebelongo quartum vendicet filiorum Adelelmum, inprimis sextâ, quam affert autoritate nonneminem ejus nominis Laudunensium creare comitem, pro eâ, quâ pollet potestate sustinet, falsò in testem vocato Carolo Calvo. Nam is donatione in S. Dionysium (cujus in Archivo instrumentum adhuc extare dicitur) duas contulit Ecclesias in comitatu Laudunensi sitas, Adelelmo paulò antè regio beneficio possessas. Etsi verò nostrâ parùm intersit, fueritne Adelelmus Laudunensis comes, an secus: inanissimi tamen specimen ingenii est, à jure sive patronatûs sive advocatiæ in duas omninò Ecclesias, quæ jure privatorum teneri potuerant, ad integrum comitatum arguere.

At septimâ dein autoritate, quam beneficio S. Eudonis Abbatis Cluniacensis vita S. Geraldi comitis Aureliacensis suppeditat, hunc Adelelmum fratrem Ademari agnoscere jubemur, illius videlicet

L quem

quem Lampagia maritum habuit, quem cùm Nebelongo filium esse & nepos Elirannus, quod diximus, & Robertus seu frater, seu itidem nepos nequaquam ferant: consectaneum est, nec ipsum adeo hunc Adelelmum Nebelongo in filium cedere. Incassùm itaq; hactenus autoritatum isto septenario laboravit Pradius, ut Theodericum & Ademarum, & Adelelmum, & Aledramnum sibi invicem in fratres Nebelongo II. in filios, Eccardo in nepotes assereret. Quàm enim Theodericum Aledramni fratrem eundem esse, quem Tericum Eccardus & Nebelongi filium nuncupavit, Pradius perspicuum minimè dedit: tam nobis ex adverso evictum est, Ademaro Lampagiæ marito, Adelelmi fratri, cum Ademaro Terici fratre in nullo convenire posse. Nec tamen hîc sistit Pradius, sed fratrum quadrigæ quintum etiam Robertum Fortem, quod tantis meatibus quæsiverat, paribus omninò auspiciis, pari felicitate, judicio, & argumentandi subtilitate superaddere satagit.

Nam ut eò contendat triplici incedit

viâ.

viâ. Primò quòd Robertus Fortis eodem quo Nebelongus & Eccardus (quod Pradius non probat quidem, ſed lectoris credulitati circumveniendæ confidenter ſupponit) gaviſi erant, Auguſtodunenſi comitatu potitus ſit. Ex identitate enim poſſeſſionum ad identitatem familiæ vaniſſimus infert. Deinde quòd Roberti poſteritas pariter ut Childebrandi I. Burgundionum quaſi gentilitio nomine venerit, unde ejusdem fuiſſe ſanguinis neceſſe ſit. Deniq̀ue quòd Ademarus & Adelelmus Eudonis regis, qui Roberto Forti natus erat, conſanguinei, quin & avunculi, & qui Adelelmo progenitus fuit Gualtarius, ejusdem nepos audierit. Priora illa ut nobis perſuadeat, autoritatem octavam, duodecimam, & quæ hanc ſequuntur, reliquas, partim verò & nonam atq; decimam ſubſidio vocat; quarum examen diſtinctionis causâ peculiari capite ſubjiciemus. Aſt ultimo aſſumpto ſtabiliendo ſeptimam, quam modò manu emiſimus, & nonam ac decimam, nec non undecimam adhibet, ſi rectè quidem iterum, quod in tantâ caligine

mihi dandum est, conjicio. Verùm omnem hanc substructionem tribus propè verbis disjiciemus.

Nam quod septima autoritas ex vitâ Divi Geraldi tradente S. Eudone Abbate perhibuit, Adelelmum quendam Ademaro alicui fratrem fuisse ultro jam fassi sumus. Nonam verò & decimam versibus paucissimis exceptis nihil ad causæ summam facientibus, sibi per omnia convenientes, cùm non nisi numero iterum faciendo, ac tempori chartæq; terendæ duplices dederit Pradius, lectoris patientiâ frivolè rursum abusus est. Deprompsit eas ex Reginone Prumiense & annalibus Francorum Metensibus, nec aliud inde discimus, quàm *Roberto Forti ducatum Andegavensem fuisse commissum, eidemq; dein à Normannis cæso, Hugonem Abbatem fratrem uterinum successorem datum. At viginti plus minùs annorum intervallo post, Eudonem Roberti filium in thronum Galliæ levatum & ab isthoc* (in quo harum autoritatum cardinem credo collocavit Pradius) *anno* 892. *Gualtarium Eudonis nepotem, eundemq; Adelelmi filium* capi-

capitis pœnæ ſubjectum. Ubi quidem nihil eſſe putem, in quo nos magnoperè adverſantes experiatur Pradius. Experietur autem ubi vel ſibi commodare ejus aliquid, vel nobis officere, inaniſſimâ ſpe præceperit. Sed nec undecima habet quod admodùm reprehendas. Abbonis illa denuò eſt, ſi Dîs placet vatis, qui Ademarum Eudoni conſanguineum fuiſſe raucet. Libenter in hoc Pradio condeſcendimus, quin & Adelelmum nexu eodem Eudoni addictum non inficiamur. Verbo: quod unum ex his omnibus colligit Pradius, id nunc quidem agnoſcimus, *Robertum* Fortem cum Eudone, Ademarum cum Adelelmo, & Gualtario qualicunq; propinquitatis genere ſibi conjunctos fuiſſe. At quam porrò nectit ſtropham, ut unà cum Ademaro cœteros quoq; Nebelongo in filios adſtruat: id verò eſt, quod concedere nequaquam ſuſtinemus. Nam Ademarus, qui Lampagiæ maritus, Adelelmi frater fuit, cum Ademaro quem Nebelongus filium, Tericus fratrem tulit, commune præter nomen nihil habuit.

Aut si quid est Pradio, quo secus habuisse nobis persuadendum putet, rem gratam præstabit, si citò promat. Non igitur mordicus quidem nunc obnitemur, Ademarum & Adelelmum Roberto Forti fratres fuisse. Ultro sibi tantisper hoc ferat Pradius, nihil profuturum. Nam Robertum inde, pariterq; Ademarum Nebelongo dandos esse pernegamus. Equidem ut in hoc obfirmemur, non Elirannus modò, & qui huic seu frater seu patruus fuit Robertus ille alter, faciunt, qui Ademarum hunc, quod toties jam ursimus Nebelongo addici prohibent. Verùm inde etiam movemur, quòd per ea, quæ Pradius adstruxit, manifestum non fiat, germani aut consanguinei fratres fuerint Robertus, & Ademarus, & Adelelmus, an uterini tantùm. Quid enim vetat, tametsi quos cupit Pradius quatuor istos Nebelongo filios largiremur, ut quem superaddere pertendit quintum, Robertum videl. Fortem, cœterorum fratrem uterinum tantùm, Nebelongi privignum fuisse contendamus? Historiæ sane, quo secus credere jubeamur,

mur,

mur, nihil prodidere; Nebelongi filium dixere nullibi. Quin si dixissent, filium tamen persæpe pro privigno priscis dictum fuisse, paulò post de Hugone Abbate Roberti Fortis privigno verba faciens, Pradius ipse testis est. (e) Quidquid ergo ex his omnibus in rem suam facere Pradius diffusissimè causatur: id omne epilogismis nititur frivolis, & ratiocinationibus per ambages multimodè deductis, & nexu multifariam emendicato concatenatis; quod genus probationis ab hâc causâ jam tum sub ingressum tractationis adversarius ipse eliminavit. Sed nec ulla nos ad hæc omnia confugere cogit necessitas. Avunculos enim Ademarum & Adelelmum Eudoni concedere possumus, etiam Roberto Forti in fratrem negato. Poterant enim avunculi filiorum Roberti & per matrem esse. Imò favet hîc avunculi vox, genuino quippe significatu retinenda, quousq; loco motam clarissimè constiterit. Suboluit hoc jam pridem Bouchetio aliisq;, qui etiam in matre Eudonis, Roberti uxore indagandâ seduli fuere. Et prævidit hoc te-

lum Pradius; quare in Bouchetio refutando operosus fuit. (f) Quam igitur Roberto uxorem Eudoni matrem fuisse asserit, Adelais est, Hugonis Alsatiæ ducis filia, Ermengardis, quæ Lothario Cæsari nupta fuit, soror. Rectè id an secus indagare huc non attinet. At illud unà demonstrandum erat Adelelmum cum Ademaro, Adelaidis fratrem, Hugonis Alsatici filium, imò privignum non fuisse. Imò demonstrandum etiam erat, Ademarum & Adelelmum sorore aliquâ Roberti Fortis genitos non fuisse. Nam & hoc pacto consanguinitas Abboni laudata cum Eudone & Roberto ejus fratre constare poterit. Donec verò ista omnia exactissimè diluta sint, nihil egit Pradius. Quidquid garrit, quidquid argutatur, incertum est. At incertum hîc pro nullo est. In causâ versamur, si, quæ in recessu fert, prospicias, omnium truculentissimâ, in quâ Pradio gratis nihil dari, nihil indulgeri queat. Quidquid locum hîc sibi vendicare cupit manifestum & evidens, & undequaq; irrefragabile sit necesse est. Rei enim agimur ab adver-

ſario duro ſanè & iniquiſſimo, qui omnium libertati per calumnias odioſiſſimas gravis incubat. Reorum itaq; commune beneficium nobis ſi quibus unquam, favere decet.

Rem ut compendifaciam, mitto hîc illa, quæ aliunde adhuc ſuppetunt, & Nebelongum II. Roberti Fortis patrem eſſe non ſinunt. Nam Saxonicum, hoc eſt, Teutonicum viri genus Aimoino diſerte notatum, in Nebelongi, majoribus Galli, filium non cadit. Nec Pradius cum aſſeclis ſuis, unquam ſatis everterit, Teutonicâ origine Robertum fuiſſe. Deinde tutela Eudonis atq; Roberti, filiorum Roberti Fortis tum puerorum, in Hugonem Abbatem fratrem uterinum, præteritis Nebelongo & Eccardo, tum adhuc, ut diu poſtea, vitali aurâ fruentibus, translata (g) aliud omnino ſuadet, quàm avum ipſis & proavum iſtos fuiſſe. Jam verò etiam Roberti Fortis, pro patriâ, quam toties ſervaverat, morte glorioſâ defuncti memoria in teſtamento Eccardi, inter eos, quorum animabus, piâ teſtatoris voluntate proſpectum

ſpectum eſſe debebat, ſilentio omnimodè obvoluti, idem prodit. Quin ſi hic inter vitâ exutos nullam ibi mereri viſus erat ſui curam: orphanorum certè Eudonis atq; Roberti, proavito in teſtamento, tanti principis & opulenti, qualem Pradius nobis Eccardum vendit, rationem haberi congruum erat. Habitam non fuiſſe, quid aliud ſibi vult, quàm eos nec ad Nebelongum, nec ad Eccardum, ſanguinis quidem jure pertinuiſſe? Verùm hæc aliàs fortaſſe uſu venient. Nunc fruſtra fuerim, ſi in re apertiſſimâ ampliùs ſatagerim. Id unum quod initio propoſitum erat demonſtrare, quò hinc abeam repeto: Non liquet hactenus Nebelongum Roberto Forti patrem fuiſſe.

(a) *Geneal. P. 2. ſub Roberto Forti.*

(b) *Geneal. P. 1. ſub Nebelongo II. in diplomate donationis quam Aledramnus Monaſterio S. Dionyſii fecit.*

(c) *Ibid. Qu'il fit une donation à la meſme Abbaye, le premier jour de May, de l'année* 879. *en la preſence & du conſentement des Princes Nebelong ſon pere & Adelelme ſon frere.*

(d) *Ibid.*

(d) *Ibid. Diplomate Caroli Calvi dat. 4. Cal. Febr. Indict. 12. Ubi Nebelongus Comes, & P. 2. sub Roberto Forti, ubi Robertus frater, item sub Richardo Burg. duce, instrumento Cadilonis ablata restituentis, ubi Richardus & affinis Hector consensere, & aliis &c.*

(e) *Geneal. P. 2. sub Roberto Forte.*

(f) *Ibid.*

(g) *Geneal. P. 2. sub Roberto rege. Ce Prince demeurá dans sa plus tendre enfance sous la garde de Hugues surnommé l'Abbé son frere uterin, qui prit le soin de son education.*

XIII.

An ab identitate Magistratuum gestorum, & possessionum privatarum, nec non cognominum, ad identitatem familiæ à Pradio recta fiat illatio?

IDentitatis vocem in tractatione ubi Grammaticorum cura nequaquam prima est, utcunq; non satis Latinam usur-

pare liceat. Reſtat igitur, quod ex ſuperiore capite huc rejecimus examinandum, an quòd Childebrandini heroës, ut Pradius quidem orbem perſuaſum cupit, eadem cum Roberti Fortis poſteritate territoria publica, prædiaque privata tenuerint, & Burgundicæ originis gentilitia cognomenta vulgò tulerint, ejusdem protinus familiæ utrinq; cenſendi ſint? Nam territorii, aut Magiſtratûs identitatem quod attinet, præ cœteris octava huc autoritas ex annalibus Francorum Bertinianis Pradio in ſubſidium vocata eſt, quâ comitatum Auguſtodunenſem (quem jam tum à Childebrando I. per Nebelongum I. & Childebrandum II. & Eccardum ad Nebelongum II. de manu in manum conſtanti poſſeſſione transmiſſum falſiſſimè aſſerit) (a) à Carolo Calvo in Robertum Fortem collatum eſſe diſcimus. Et quidem veniſſe Roberto momentaneâ poſſeſſione hunc comitatum non inficiamur. Aſt hinc vel hilum ejus quam Pradius nectit conſequentiæ elici, duplici ratione vaniſſimum oſtendimus. Primùm quidem, quòd ex Magi-

Magistratuum inter Francos veteres gestorum identitate frustraneus omninò ad identitatem familiæ sit progressus. Deinde, quòd vel Nebelongi II. vel ullius ex ejus adscititiis majoribus, nedum omnium ac singulorum, quem diximus comitatum aliquando fuisse, nullo prorsus ad propositum faciente testimonio à Pradio quidem comprobetur.

Etenim quod prius istud concernit, si vetus apud Francos honorum & dignitatum, quibus nominibus Magistratûs, & ante cœteros, ducatûs ac comitatûs veniebant, eadem quæ hodiè fuisset ratio, quâ nobis patrimonii quodam jure censentur, familiarumq; seu feudi jure, seu allodii, perpetuæ sunt accessiones: esset fortasse, cur falsis suis assumptionibus fucum coram ignaris affricare se posse, Pradius confidere auderet. Nunc verò cùm facie longè diversissimâ fuerint prisca illa: tota hæc tela incassum texitur. Ducatûs enim & comitatûs apud veteres Francos, ut plerasque alias Germanicas gentes, etsi sæpe in proles, non tamen necessariò continuatos, ac post fata vel

promotiones præsidum, ad liberam summi imperantis collationem reversos esse, neminem in antiquitate vel mediocriter versatum latere potest. Unde memorabilis illa codicis Bojoarici lex est, quâ ducatui Bojoarico ut soli Agilolfingii præessent, singulari privilegio cautum fuit, nequam necessario, si communis omnium ducatuum (par verò & comitatuum causa fuit) conditio tulisset, ut à patre ad filios transferrentur. Lex ista sic habet: *Agilolfingi verò usq; ad ducem in quadruplum componuntur, quia summi principes inter vos sunt: Dux verò qui præest in populo, ille semper de genere Agilolfingiorum fuit, & esse debet; quia sic reges antecessores nostri concesserunt eis; qui de genere illorum fidelis erat & prudens, ipsum constituebant ducem, ad regendum populum illum.* Imò ne vel sic quidem summi imperantis in transferendo ducatu Bojoarico arbitrium ad filios defunctorum restrictum fuisse, sed præteritis antecessorum liberis ad quemcunque de agnatione Agilolfingiâ regium delectum pertinuisse, lex ista docet. Cœteros

teros ducatûs quod attinet, innumera suppeditant exempla veteres historiæ liberrimâ regum voluntate distributos fuisse. Primus verò Hugo Capetus in Galliâ; ut Caroli M. posteris solio avito deturbandis asseclas sibi pararet, quibuscunq; partes suas tuentibus dignitates quas obtinebant, patrimoniales fecit; dignis, qui in posteris pariter suis à Capeti illius progenie seculorum decursu malè partâ autoritate seriùs ocyùs exutis, & ad præsentem humilitatem depressis, facinoris in reges suos legitimos admissi præmium ferrent. Ut ne verò in asserendo isthoc regum priscorum arbitrio in diffusa abire necesse sit, vel solus Augustodunensis comitatus, de quo hîc res est, exemplo suo efficit. Nam ille à Carolo Calvo cuicunq; (certè nec Nebelongus II. is, neq; Eccardus fuit) ademptus in Robertum Fortem, inde in Ludovicum Balbum, dehinc præteritâ Roberti sobole omniq; agnatione in Theodericum quendam Camerarium collatus est, quod ipse Pradius autoritate de quâ agimus octavâ, & alio eorundem annalium

Berti-

Bertinianorum fragmento (b) quod in ruborem Pradii paulò post prodibit, demonstrat. Numeravit eo pacto comitatus Augustodunensis intra annos perquam paucos quatuor comites, comitumque, quod dilucidè ostendam, quatuor familias, idq; liberrimâ regum ordinatione. Inanissima igitur conclusio est: *Titius Sejo in ducatu vel comitatu successor datus; ergo Titius Seji filius aut gentilis fuit.* Quo solo vis omnis Pradianæ causationis dilabitur.

Jam verò ut ad alterum convertamur, ne constare quidem per Pradium, quòd comitatus Augustodunensis ulli ex Roberti Fortis majoribus, etiam adscititiis in lineâ rectâ, unquam concreditus fuerit, per singulos eundo facillimæ demonstrationis est. Isthoc verò antequàm ad lancem veritatis appendamus: pace lectoris brevissimâ digressione explicabimus, quâ perversitate & fraude Pradius in ducibus comitibusq; suis creandis versari soleat. Pertinet huc ante omnes trabalis illa ineptia, quâ circa S. Guilielmum, Theoderici I, filium, Childebrandi I,

di I. nepotem ampullatur, qui cùm ipſe in fundatione Monaſterii S. Mariæ, paulò antequam ſeculo renuntiaret, non niſi comitem ſe tulerit, (c) ac reapſe Marchio (ea dignitas abolitis à Carolo M. ac Pipino Brevi paulatim ducatibus per ea tempora primùm orta fuerat) limitis Hiſpanici fuerit: dux tamen Aquitaniæ & Septimaniæ & Burgundiæ Pradio factus eſt. Imò ut manipulum unum ampliùs gloriæ Capetinæ per falſa aſſerta adjiceret, magnicrepantibus verbis, ſed impudentiâ, juxtà & imprudentiâ inſigni de eo enuntiavit (d) *univerſo Francorum regno ſub Caroli M. propatruelis ſui regimine imperâſſe.* Crederes Herculem fuiſſe, qui Atlantem onere levârit. Quaſi verò is fuiſſet Carolus M. qui miniſtro qualicunq; eatenus & ſe, & rerum clavum permiſiſſet. At vide quàm Pradius ſcriptorum inſipientisſimus detecto mox fonte, unde iſta malignè hauſerat, ipſe ſe prodat. E veſtigio enim monumentum graphicum Monaſterii Mariani ſubdit in hæc verba: *Juliofridus Abba conſanguineus Caroli Imperatoris fecit teſta-*

mentum

mentum scribere, in quo continetur omnis HONOR, *quem acquisivit S. Willelmus princeps*, TOTIUS GALLIÆ *finibus, à dominis & piissimis Karolo & Ludovico Imperatoribus.* Hic verò quivis è ludo puer intelliget, aliud nihil ista velle, quàm variis à Carolo & Ludovico hinc inde per omnem Galliam muneribus, Magistratibusq;, seu civilibus seu militaribus, sive ordinariis, sive extra ordinem, diversis utiq; temporibus admotum fuisse S. Guilielmum. Imperii pro rege in universum regnum exerciti non nisi præposteri omninò judicii quisquam argumentum inde extorserit. Usque adeò pensi non habuit Pradius eâ fraude, & subjecto, qui fraudem nudare debebat latino textu, orbis totius sannas in se lacessere, ut credere omninò queas, vel ipsum omnino non intellexisse latina omni passim libro suo inserta, vel delectoris stupiditate perversè nimis præsumpsisse. Pari autem fide ac fronte etiam per alia ejus generis progreditur. Ita enim Childebrandum II. cum Eccardo filio comitem Morivensem renuntiat,

(e) Ast

(e) Aſt documentum, quod ex chartophylacio S. Dionyſii eam in rem produxit, præter jus venandi atq; piſcandi in modico iſtius pagi diſtrictu eis adſcribit nihil. Ita eundem Eccardum comitem proclamat Matisconenſem & Cabillonenſem. (f) Et tamen inſtrumentum donationis Monaſterio Floriacenſi factæ, quod paulò poſt ab eo in teſtimonium advocatur, non niſi vicos numero paucos cum ſuis colonis intra pagum Matisconenſem & Cabillonenſem ſitos, jure patrimonii & omnimodæ proprietatis, non principis arbitrio publicum in munus, ut comitatûs aliiq; honores publici ſolent, ipſius fuiſſe exhibent. Ita porrò Nebelongum II. inter alia comitatu quoque auget Altiſiodorenſi & Vexinenſi, cùm tamen diploma Caroli Calvi, quod eò trahit, nihil aliud prodat, quàm triginta omnino ruſticos cum ſuis prædiis per utrumq; comitatum ei mancipatos. (g) Ita Aledramnum Laudunenſem laudat comitem, nixus inſtrumento donationis; unde aliud nihil elici poteſt, quàm prædiorum paucorum dominio privatim ibi

ibi gavisum. Ita eodem fretus instrumento Aledramno in isthoc comitatu socium jungit Adelelmum; qui tamen non nisi in simplicem testem subscriptus est. (h) Et quamvis alibi diploma Caroli Calvi in subsidium vocetur: (i) ex illo tamen aliud discere non possis, quàm Adelelmo comiti (ubi comes fuerit non exprimitur) duas illic Ecclesias beneficio regis, separatâ utiq; à comitatu ratione, addictas. Ita deniq; ex testamento Eccardi ait, patere, principem hunc, (qualem scilicet Pradio creandi jus est) fuisse unum ex potentissimis, atque ditissimis Galliæ proceribus. (k) At verò quid cum hoc homine agas, qui tam sine verecundiâ quasvis nobis fabulas, & inanis cerebri sui somnia vendit, eademq; mox ipse destruit? Tabulæ enim quas laudat, præter villam Patriciacum & alia nonnulla, quæ in instrumento donationis Eccardinæ paulò antè allegato, utcunq; disertiùs explicantur, & ex quibus modici splendoris cœnobium Patriciacense surrexisse comprehendimus, nihil ostentat ampliùs, quàm supellectilem itidem modi-

modicam, & hodiè ne equeſtris quidem ordinis viro mediocriter opulento invidendam. Hujusmodi autem ferculis paſſim nos mactat opus Pradii genealogicum. Sed pauca iſta ſatis ſint, quò methodum, quâ in aſſerendo Capetinis ſuis Burgundiæ patrimonio & Auguſtodunenſi comitatu, (quod neſcio, quâ percitus maniâ deperit,) poſthac verſatur, lectori prænôſſe detur.

Nam ut nunc citra ambages illuc accedam, quò mercem ſuam à vetuſtate commendet, ipſum jam tum Pipinum Craſſum Campaniæ Burgundiæq; ducatûs jure patrimoniali tenuiſſe jactat fabulator noſter, quo nihil quidem futilius effutire poterat. Auſtraſiis enim originibus cùm tota fuerit Arnolfina domus, quod nec ipſe de Arnolfo verba faciens tacere potuit, quid ad eum Burgundia? ſed & aliundè facillimum oſtenſu eſſet, Pipinum paternâ ſucceſſione Franciæ orientalis, hoc eſt, Franconiæ Haſſiæq; & Montenſium, avitâ verò per matrem Beggam, tractûs inter Moſam, Arduennam atq; Oceanum, etiam invi-

tia

tis regibus, ultrò se subdentibus per Factiones populis, quòd jam Austrasios inter & Neustrios dissensiones in summo essent, ducem fuisse. Quin etiam ipse eum Pradius linguâ patriâq; Germanum fuisse testis est. (l) At prætextus, quo nobis imponere nititur, is est, quòd Pipinus filium Drogonem Burgundiæ atq; Campaniæ præfecerit, quod quidem extra controversiam est. (m) At tacet subdolè, factum id esse à Pipino, non quòd istos ducatûs patrimonii jure suos unquam numerâsset; verùm pro potestate Præfecturæ Palatii, quâ jam tum absolutâ pollebat, eâq; fretus, ducatûs juxtà & comitatûs quosvis rectoribus viduatos, suo arbitrio in alios transferebat. Contrarium verò persuasum vafrè nobis ideò voluit Pradius, quòd speraret, leviori deinde operâ adduci lectorem posse, ut Childebrandum, quem scil. Drogoni fratrem jungit legitimum, in Burgundiam & hæreditario quidem jure successisse crederet.

Post Pipinum enim cum hoc ipso Childebrando pergit noster, propè dixerim deli-

delirare. (n) *Childebrandus*, inquit, *Dux Burgundiæ frater fuit Caroli Martelli, & possedit comitatum Augustodunensem post mortem nepotum suorum, ex fratre Drogone, cui soli jus erat in eâ provinciâ, velut patrimonio patris Pipini titulum Ducis ac Marchionis conferendi.* Quid hæc sibi ultima velint, Jovem lapidem juravero, si scriptor ipse noverit. Nam & Marchiones tum quidem nec dum erant, & qui deinde in hoc nomen successerunt, hodieq; etiam apud Germanos florent, à modernis Gallorum Marquisiis, quantum Titanes à Pygmæis distabant. Neq; etiam usq; adeò insanire arbitror Pradium, ut duci sub Francorum vetusto imperio, alios sibi duces in ducatu suo, & quidem rege, aut qui pro rege erat, Palatii Magistro non salutato, aut substituendi, aut communicatâ potestate allegendi jus fuisse putet. Intereà textûs ex Fredegarii continuatore (o) quos Childebrando in ducem Burgundiæ elevando adducit, aliud nihil exhibent, quàm Childebrandum à Carolo Martello Burgundis rebellibus

coër-

tis regibus, ultrò ſe ſubdentibus per factiones populis, quòd jam Auſtraſios inter & Neuſtrios diſſenſiones in ſummo eſſent, ducem fuiſſe. Quin etiam ipſe eum Pradius linguâ patriâq; Germanum fuiſſe teſtis eſt. (l) At prætextus, quo nobis imponere nititur, is eſt, quòd Pipinus filium Drogonem Burgundiæ atq; Campaniæ præfecerit, quod quidem extra controverſiam eſt. (m) At tacet ſubdolè, factum id eſſe à Pipino, non quòd iſtos ducatûs patrimonii jure ſuos unquam numerâſſet; verùm pro poteſtate Præfecturæ Palatii, quâ jam tum abſolutâ pollebat, eâq; fretus, ducatûs juxtà & comitatûs quosvis rectoribus viduatos, ſuo arbitrio in alios transferebat. Contrarium verò perſuaſum vafrè nobis ideò voluit Pradius, quòd ſperaret, leviori deinde operâ adduci lectorem poſſe, ut Childebrandum, quem ſcil. Drogoni fratrem jungit legitimum, in Burgundiam & hæreditario quidem jure ſucceſſiſſe crederet.

Poſt Pipinum enim cum hoc ipſo Childebrando pergit noſter, propè dixerim deli-

delirare. (n) *Childebrandus*, inquit, *Dux Burgundiæ frater fuit Caroli Martelli, & possedit comitatum Augustodunensem post mortem nepotum suorum, ex fratre Drogone, cui soli jus erat in eâ provinciâ, velut patrimonio patris Pipini titulum Ducis ac Marchionis conferendi.* Quid hæc sibi ultima velint, Jovem lapidem juravero, si scriptor ipse noverit. Nam & Marchiones tum quidem nec dum erant, & qui deinde in hoc nomen successerunt, hodieq; etiam apud Germanos florent, à modernis Gallorum Marquisiis, quantum Titanes à Pygmæis distabant. Neq; etiam usq; adeò insanire arbitror Pradium, ut duci sub Francorum vetusto imperio, alios sibi duces in ducatu suo, & quidem rege, aut qui pro rege erat, Palatii Magistro non salutato, aut substituendi, aut communicatâ potestate allegendi jus fuisse putet. Intereà textûs ex Fredegarii continuatore (o) quos Childebrando in ducem Burgundiæ elevando adducit, aliud nihil exhibent, quàm Childebrandum à Carolo Martello Burgundis rebellibus

coër-

coërcendis, cum exercitu missum, atque aliâ iterum vice Pipino Martelli filio adversûs eosdem moventi, inter reliquos proceres comitem fuisse. Utroq; loco dux quidem dicitur historico. At provinciæ cui præfuerit, nullum ibi, sed nec alibi vestigium invenire est. In ambiguo verò etiam manet, an à ducatu, an ab exercitûs ductu, ducis ibi nomen à scriptore sortitus sit. Sed neq; ab eo ipso exercitu in Burgundos ducto, argumentum ad ipsam ducatûs administrationem rectè quisquam formaverit, nisi pariter & Pipinum Brevem cum Childebrando ejusdem provinciæ ducem fuisse velit. Ipse deniq; Fredegarii Continuator ad calcem historiæ suæ, non nisi comitem dicit Childebrandum. *Vir*, inquit, *Childebrandus comes avunculus prædicti regis Pipini hanc historiam vel gesta Francorum diligentissimè scribi procuravit.*

Jam verò hoc pacto Burgundiæ ducatu exclusum Childebrandum, quibus adminiculis saltem Augustodunensium rebus inferat, scire gestirem. Monumentum

mentum enim quod ex Chartophylacio Cœnobii Flaviniacensis nobis exhibet, ejus nihil habet. Verba quæ Pradius illuc trahere videtur, (p) sequentia sunt: *Et dono ipsis Monachis successoribusq; locum omnem patrimonialem hæreditatem, quà potior in villà Miardo jacentem in comitatu Alsensi.* Mitto nunc quid sibi villa Miardo & comitatus Alsensis velint, & an cum Augustodunensi, cui non repugnamus quid commune habeant. Cæterùm nihil inde aliud discimus, quàm à Childebrando res quasdam patrimoniales, eo in comitatu sitas, in cœnobium collatas. A re autem patrimoniali, quali per omnem hinc inde Galliam quisque gaudere poterat, ad comitatum ipsum, qui Magistratus erat, regisq; beneficium, non patrimonium, nemo nisi fatuus illationem fecerit. Neq; magis opitulatur Pradio documentum ex archivo Patriciacensi petitum, quod (q) sub Eccardo suo refert, ubi hæc leguntur. *Et requirebat ei, quòd illas res, quæ sunt in pago Augustodunense in villa Balgiaco, quem Carolus Hillebranno beneficiaverat,*

M *de*

de villa Patriciaco ipsius Amelius posse ordinatè retinebat, ipsas res sic interrogatum fuit, ipsius Amelio de ipsa causa &c. Nam vel Oedipo labor haud tralatitius fuerit, quid hoc sibi chaos implexarum locutionum velit secernere. Illud tamen è tantâ caligine utcunq; satis translucet, Balgiacum vicum vel oppidum Childebrando à Carolo Martello sub nexu feudali commissum fuisse. Sed peculiare feudum hoc fuit, intra limites comitatûs Augustodunensis situm, nec cum eo aliam habens affinitatem, quàm quòd Comitis jurisdictioni privatorum prædiorum jure subjectum esset. Ejus autem dominium directum Martelli patrimonium erat. Ipsa etiam causa hoc manifestum facit. Lis enim Nebelongo Childebrandi alicujus filio erat, cum Amelio homine privato, circa res feudales in comitatu Augustodunensi sitas. Convênit eum igitur coram Comite Augustodunense Theoderico. Quis verò hinc evicerit comitatum ipsum Childebrando in feudum venisse? Firmantur hæc eadem diplomate Pipini Aquitaniæ regis, Ludovi-

dovico Pio geniti, qui Martelli abnepos cùm esset, feudi istius dominium directum, patrimonio privato & peculiariter consecutus erat, idque in Eccardi, qui Childebrandi primi pronepos fuit, gratiam nexu beneficiario solvit, vasalloq; in plenum dominium attribuit. At nec Pipinus iste Comes Augustodunensis, nec comitatus ipse regno ejus, quod Aquitaniâ circumscribebatur, comprehensus erat. Perspicuum igitur hinc fit, dominium Patriciacense Martelli beneficium privatum, à comitatu Augustodunensi, si jurisdictionem, quâ ceu prædia privata quælibet, Comiti tenebatur excipias, undiq; diversum fuisse.

Clariùs ea omnia elucescent, ubi ne quidem Nebelongum Childebrandi I filium Augustodunensium Comitem fuisse lector didicerit. Adversari huic assertioni ab ipso statim limine videtur, memorati diplomatis exordium in hæc verba conceptum: *Notitia qualiter & quibus præsentibus, qui subter firmaverunt, veniens Fulchardus Advocatus Illustri viro Nivelungo comiti in Augustoduno civitate,*

vitate, in causâ ipsius Illustri viro Nivelungo, ante illustrem virum Theoderico comiti & reliquis quampluris personis &c. Ast genuinus hujus initii sensus ab ipsâ fronte obvius iste est: *Nebelongi Comitis* (ubi Comes fuerit, id hinc quidem nunquam eruas) *advocatum comparuisse in civitate Augustodunensi, coram comite loci Theoderico.* Pradius ut hunc scopulum eminus prævisum evitaret, magnâ confidentiâ ausus est asserere, ambos eidem comitatui præfuisse. Verùm id nullo comprobatum indicio, solâ fide suâ stare jubet, cujus apud prudentes quosq; jacturam jam pridem fecit.

Childebrandum dehinc secundum Nebelongi I. filium ut post patrem in Comitem Augustodunensem promoveat, refert se ad documenta Prioratûs Patriciacensis à Perardo in volumen antiquitatum Burgundicarum congesta, & ad aliud Ecclesiæ Cathedralis Augustodunensis monumentum, quod inter Meusnerii antiquitates Augustodunenses extare asserit. Hæc ad manum nobis non sunt; calculum itaq; suspendimus. Ut omnia

rectè

rectè pro Pradio ſe habeant, unum ſolum ex adſcititiis Roberti Fortis majoribus Auguſtoduno præfuiſſe, tandem aliquando evicerit, quod in hâc cauſâ pro nihilo eſt. Nec enim ideò probaverit nobis, Robertum Fortem, quod caput eſt proavo Nebelongo primo ſatum. Veruntamen ſi dicere licet, quod ſentio, cùm tot inania, & ad rem ne hilum quidem facientia, magnâ lectoris dividiâ in chartam conjecerit inſtrumenta, documenta, teſtamenta: profectò ſi Perardiana illa & Meuſneriana pretii vel minimi eſſe judicâſſet; iis ſimiliter in lucem proferendis & chartæ, & operæ, & lectori nequaquàm peperciſſet.

Jam verò quæ pro Eccardo, quem Childebrando II. filium dat, haud modico molimine nobis objicit, quò Comitem Auguſtodunenſem exire faciat: quantumcunq; & quomodocunq; verſaveris, nihil inde aliud exibit, quàm dominium Patriciacenſe in territorio Auguſtodunenſi ſitum, ab Eccardo iſthoc primùm ſub feudi aviti nexu, deinde pro allodio poſſeſſum fuiſſe; quod ad comitatum

Auguſtodunenſem nullâ prorſus veri ſpecie extendi poteſt. Paucis hoc aſſero & confidenter; certus ita rem ſe habere, & quia piget teſtamenti Eccardini, quo nititur, barbaros fœtores lectori denuo objicere.

Sed mirum quâ temeritatẽ etiam Nebelongum II. quem nullo argumento Eccardi filium demonſtrare potuit, nunc in album Comitum Auguſtodunenſium referre auſus ſit! Unicum Caroli Calvi diploma in eam rem proponit 13. Jan. an. 843. conſcriptum. (r) Sed illud Nebelongo huic intra fines iſtius comitatûs, *præter manſa decem cum Capellâ conſtructâ in honore S. Martini ſuper fluvium Cort*, ne atomum quidem attribuit. Idemne verò eſt Comitem Auguſtodunenſem eſſe, quod decem ruſticorum in eo diſtrictu jure privato dominum?

Nihil igitur eſt, quidquid Pradius molitur, quando quos Roberto Forti majores affingit Pipino Craſſo per Childebrandum filium, ac Nebelongum nepotem, ut ipſe quidem cupit, ortos, in comites Auguſtodunenſes, ducesq; Burgundiæ

gundiæ nobis obtrudere contendit. Frustra etiam omninò eſt, quando qui ex Roberto Forti proceſſerunt, Burgundico Magiſtratu functi, eâdem cum ſuperioribus familiâ ſatos inde concludit. Quàm enim hiet iſta aſſertio, jam prorſus in aprico eſt, poſtquam ne unum quidem ex omnibus Childebrandinæ propaginis eò loci provehere dignis rationibus potuit. Robertum eum ipſum tandem Hugonis Capeti proavum comitatui Auguſtodunenſi impoſitum fuiſſe, diſertim aliquando invenimus. Ita enim Annales Bertiniani ad nos transmiſerunt ſub an. 864. Veruntamen hanc poſſeſſionem è re ſuâ fore Pradius fruſtra ſperet. Tantum id abeſt, ut inimica hîc quoq; fata proprias in eum copias arment. Perſpicuæ enim demonſtrationi eſt, quàm Eccardum, tam Nebelongum Auguſtoduno nunquam admotum, quòd illis vivis Robertum, quem Pradius nepotem illis & filium affingit (quamobrem etiam apud ipſum hæc ratio plurimi eſſe debet) eidem aliquando à Carolo Calvo præfectum fuiſſe certum ſit.

Quis enim niſi manifeſtis perſuaſus rationibus credere ſuſtineat, avum ſimul patremq; (id enim conſequeretur) dignitate ſe abdicâſſe, eâq; filium, eundemq; nepotem ornâſſe? Quis ut hoc detur, in animum inducat ſuum credere, Roberto jus fuiſſe, ut quæ beneficio arbitrioq; liberrimo patris aviq; conſecutus erat ornamenta, & quidem familiæ, ut Pradius contendit, mancipata, ea ſi faſtidiret, præteritis iisdem, vitali adhuc aurâ fruentibus, eorumq; numeroſâ prole maſculâ, fratribus, quos ei Pradius tribuit, in alienos, Ludovicum utiq; Balbum transferret? Ex quibus illud apud quosq; veri amantes arbitros conſectaneum prorſus fit, nec ab Eccardo, nec à Nebelongo perveniſſe ad Robertum Fortem comitatûs Auguſtodunenſis poſſeſſionem. Sed nec è longinquo accerſendi ſunt alii illi, qui ante Robertum cùm poſſiderent, novo poſſeſſori comitatu cedere juſſi ſunt. Bernardus enim is fuit, Bernardi filius, limitis Hiſpanici, ut frater paterq; & avus S. Guilielmus Comes, cui honoribus omnibus, eosq; inter comitatu

tatu

tatu etiam Augustodunensi ob delictum exuto, Carolus Calvus successorem in hocce dedit Robertum. Annales Bertiniani, quos Pradius autoritate suâ octavâ (s) quam hîc versamus, dedit, id perspicuè docent. Sic verò ajunt: *Anno DCCCLXIV. Bernardus Bernardi quondam tyranni carne & moribus filius &c. fugâ sibi consuluit, unde judicio suorum fidelium honores* (Carolus Calvus) *rex recepit, & Rodberto fideli suo donavit.* Negat Pradius horum numero honorum Augustodunensem comitatum venisse. At convincitur, quòd Bernardus eundem mox iterum illatâ vi sui juris fecerit. Ita enim pergunt annales: *An. DCCCLXVI.* (Carolus Rex) *comitatum quoq; Augustidunensem à* BERNARDO *filio Bernardi* SUPER RODBERTUM OCCUPATUM, *Ludovico filio suo ipsius Rodberti consilio ad eum ditandum commisit.* Etiam verò hîc obniti audet Pradius & negare, ideò à Bernardo vi ereptum Roberto comitatum, quòd priùs suum tenuisset, sed vindictæ cujuscunq; in Robertum stimulo. Verùm facile nobis

esset testatum reddere, & fratrem Bernardi, & patrem Augustodunensibus præfuisse. Ipse Pradius nobis præit, quando Bernardum hunc & fratrem Guilielmum II. & patrem Bernardum I. Camerarium & avum S. Guilielmum disertim Duces Burgundiæ, Theodericum verò proavum specialiter Comitem Augustodunensium dicit. Quin cùm honores suos Bernardus iste secundus partim trans Ligerim, partim in Burgundiâ Pradio sic iterum docente numeraverit, (t) nec Robertus Fortis Transligeranos illos consecutus sit, quod ex historiis constat: necesse est, nisi annales Bertiniani omninò fallant, saltem Burgundicos ei à Carolo Calvo addictos fuisse. Sed mittamus ista, cùm soli annales illi abundè sint homini convincendo. Nisi enim veterator, quæ illi mox suppeditant, hoc loco vafrè prætermisisset: poterat res è vestigio clarissima prodire. Nec tamen quivit sibi temperare stupidissimus bipedum, quin alibi eâ produceret (u) quæ sempiternum impudenti ruborem excutiant. Annales enim porrò inquiunt

inquiunt sub anno 878. *In Crastino Ludovicus rex &c.* (Balbus is erat Calvi filius) *cum consilio ipsorum consiliariorum suorum dispartitus est honores Bernardi Gothiæ Markionis per Theodericum Camerarium & Bernardum comitem Arvernicum.* Inter honores autem eâ largitione in Theodericum collatos comitatus Augustodunensis mox ad annum 879. disertè collocatur. Ita enim pergunt annales: *Hugonem Abbatem & Bozonem & præfatum Bernardum* (Arvernicum) *cum filio suo, sed & Theodericum cum sociis suis, Augustodunum misit* (Ludovicus Balbus) *quatenus ipsum comitatum ad opus Theoderici, cui antea illud dederat, evindicarent.* Clarissimus hic textus est, & si cœtera omnia abessent, vel solus idoneus, qui evincat, Augustodunensem comitatum non nisi Bernardo Bernardi filio bonis omnibus ac dignitatibus dejecto, ad Robertum Fortem primò, deinde ad Ludovicum Balbum, deniq; ad Theodericum Camerarium pervenisse, ut adeò falsius nihil sit, quàm Roberto jus in eum, vel à Nebelongo II. vel ab

Eccardo, vel à quibuscunq;, ſeu veris, ſeu ſuppoſititiis majoribus obtigiſſe. Imò ne ipſe quidem ut patuit, in poſteros eum ſuos transmiſit Robertus. Sed ſi quibus eorum ſeris annis aliquid, ſive illic, ſive & in cœterâ Burgundiâ acceſſit: id diverſis, & ab eorum ſanguine alienis poſſeſſoribus interjectis jure prorſus novo contigit.

At ne hîc cavillationis quidquam Pradio remaneat, tanquam Theodericus iſte Camerarius, quem Ludovicus Balbus Auguſtoduno auctum voluit, quiqúe eum comitatum in poſteros transmiſit, Roberti Fortis patruus, Nebelongi II. frater, Eccardi filius fuiſſet, ut vel ſic familiæ manciparam fuiſſe eam provinciam (quod tamen ad rei cardinem nihil conferret) nobis perſuadeat: repetenda huc ſunt è capite ſuperiore ea omnia, quibus Robertus Fortis à ſanguine Nebelongi atq; Eccardi exemptus, Eccardo etiam ſoboles legitima, quam Pradius ſuppoſuit, erepta omnis eſt. Prætereà quoq; mente repoſcendum, tres nobis Theodericos teſtamento Eccardi, quo

Pradius

Pradius unicè nititur, ſuppeditari, inter ſe diverſos, quorum duos Pradius in unum confundit, eumq; Theodericum Richardum, & hunc ipſum cui à Ludovico Balbo comitatus Auguſtodunenſis & ab Eccardo teſtamenti executio commiſſa ſit. Ego quidem facilè conceſſerim, Theoderico Auguſtodunenſi Comiti teſtamenti executionem, quòd bona teſtatoris ejus in territorio ſita eſſent, concreditam. Aſt eundem teſtatoris Eccardi filium fuiſſe, nullâ nobis ratione perſuaſerit. Neque ſatis eſt, quòd Theodericus iſte Camerarius, ut Pradius alicubi oſtendit (x) poſt Eccardi fata, ditionem Patriciacenſem, cœnobitis ab Eccardo transſcriptam ſui juris fecerit, ut filium fuiſſe exin perſpicuum fiat. Quo enim titulo, quóve jure aut injuriâ factum id ſit, cùm multa eſſe queant, nec eorum quidquam diplomate, quod affertur, expreſſum ſit: noſtrum non eſt ut definiamus, *pro filio* captam fuiſſe poſſeſſionem. Neq; magis refert, quòd Theodericus idem hæredes ſuos, filium videlicet ſuum Theodericum alium, & Urſonem generum

eadem prædia *in partem hæreditatis* pervadere jusserit, tanquam avita scilicet si Pradio credimus, bona. Neq; enim illa *hæreditatis* vox diplomati indefinitè inserta ad avitam restringi postulat, cùm pro paternâ esse possit, à Theoderico nimirum isto, de quo hîc res est, Camerario velut à patre socero, ad filium generumq; profecta.

Inanissimum igitur est illud omne, quod Pradius ex identitate honorum sive magistratuum, à Childebrandi I. posteritate in Robertum Fortem regesq; Capetinos deducere constituit patrocinium. Sed privatarum possessionum eadem est infelicitas; in quo tamen demonstrando non est, ut operam multis ludamus. Nec enim constat ullo teste, earum vel unicam, quam Childebrandinæ progeniei fuisse certum sit, ad Capetinos pervenisse. Quod unum satis esse ad propositum nostrum potest, donec Pradio libuerit, ex abysso antiquitatis, quam scil. annorum plurimorum frustraneo labore totam exhausit, certius aliquid in lucem proferre. Nam quod de Patriciaco

ciaco per Theodericum Camerarium, ut modò perhibuimus, malè usurpato ingerere quisquam posset, tanquam à Childebrandinis, (quos usq; ad Eccardum interim agnoscimus) ad Theodericum hunc, Roberti Fortis suppositititium patruum transmisso: id locum hîc sibi polliceri nequit. Nec enim inde ritè concluseris, eandem Theoderici, quam Childebrandi familiam fuisse, tùm quòd momentanea propè, tùm quòd vulturia & iniqua possessio fuerit; imò etiam, quòd nihil ejus ad Robertinos seu Capetinos, quorum causa hîc agitur, exinde pervenerit. Deniq;, quòd nec idoneum prætereà quidquam prodierit, quo agnatio ista, vel verisimilis tantùm redderetur.

Verùm hîc novus ex insperato labor succedit. Pradius enim ut Theoderici Camerarii filium Richardum Burgundiæ seu ducem, seu Marchionem, Eudoni Roberti filio agnatum faciat, eoq; pacto Robertinæ domûs easdem cum Richardo & Theoderico origines à Childebrando I. deductas, eandemque Burgundici ducatûs possessionem fuisse adhuc pertendat:

tendat: acervum diplomatum regiorum sub Roberto Eudonis fratre, Fortis filio novum struit, lectoremq; diffusissimâ lectione obruens circumvenire iterum satagit. Sed & hoc frustra. Præterquàm enim quòd illuc semper recurramus, quod toties diximus, non constare Theodericum Camerarium cum Richardo filio Childebrandinis majoribus descendisse, quo ipso omnis Pradii conatus disperit: faxo etiam nihil ut istis diplomatibus egerit, quàm ut immanem ac sine exemplo in quoquam scriptorum impudentiam in propatulo constituisse denuò deprehendatur. Quam in rem orbem judicem compello. Ita enim se habet:

Primo horum diplomatum discimus, ait Pradius, (y) *Eudonem regem Roberti Augustodunensium comitis cognomento Fortis, filium primogenitum ratihabuisse an* 889. *omnes donationes, quas majores ejus monasterio S. Mariæ & S. Philiberti fecerunt.* Et tamen diploma illud majorum Eudonis regis ne verbo quidem meminit, sed antecessorum, (z) & illorum quidem, qui in regno præcesserant, non qui in comi-

comitatu. Nec enim horum erat, sed regum, privilegia cujusmodi hoc diploma exhibet concedere. Quin etsi largiremur, quod fieri non potest, antecessores in magistratu provinciali intelligi: minimè tamen inde confeceris, eosdem & majores Eudonis fuisse. Quàm igitur indigna fraus est, pro *antecessoribus* latinæ forsan linguæ ignaro lectori *majores* venditare? Quàm verò insignis protervia, illorum qui gnari sunt, judicium non vereri? Sed parùm hoc est ad secutura.

Pergit enim: (aa) *Altero diplomate constat Robertum ducem fratrem Eudonis, ducemq; Richardum propinquum ejus confirmâsse anno 915. tanquam comites superioris Burgundiæ eas ipsas donationes, & Carolum Simplicem subscriptione & sigillo suo robur addidisse.* At nihil falsius à quantumcunq; professæ perversitatis balatrone dici poterat. Nulla enim toto diplomate Roberti Richardive Ducum confirmatio, vel per somnium cuiquam uspiam se offert. Et Carolus Rex, tantùm abest, ut solâ subscriptione & subsigna-

ſignatione robur alienæ gratiæ addiderit, ut totum diploma ipſius ſit, Ducumque quos celebrat Pradius vix tenuis per tranſennam commemoratio. Pauca quædam inde huc vocata tot Pradio rubores, ſi quos adhuc habet reliquos, excutient, quot totum diploma, propè dixerim, ſyllabas numerat. *Intimante* (ait Carolus rex) *Wicheramno venerabili abbate, nec non & deprecante venerando comite Richardo, ſeu fideli noſtro Rotberto, quatenus præcepta, quæ fecerunt anteceſſores noſtri, corroboraremus.* Hîc velut in ſpeculo turpitudinem facinoris tui contuere Pradi, & execrare, quâ Regum priſcorum diplomata, ut modernos palpare ſpecioſiùs poſſis, temerare audes, inſolentiam. *Deprecari* enim Regem, ut privilegia corroboret, *ab anteceſſoribus ſuis* Regibus conceſſa, hoccine verò tibi eſt privilegia *deprecantium autoritate ferri?* Ubi nunc frons tua falſarie? imò dic, ubi ſunt, quos tu creas Duces tui Richardus & Robertus, qui in regio inſtrumento, & ſolenni quidem illo vix Comites audiunt? Diſce etiam verò, Regibus, qua-

lis & paulò antè Eudo fuit, ubi de antecessoribus loquuntur, Reges intelligi, non majores, nisi aliunde constet, eosdem & antecessores in republicâ gerendâ, & unà etiam progenitores fuisse. Ut enim paulò antè Eudo, ita hîc Carolus Rex loquitur, cui Burgundiæ ducatus, quod de Eudone causari tuo more forsan poteras, nisi regiâ universali curâ addictus non fuit. Iterum verò edissere; antecessorum Regum præcepta corroborare, hoccine est, Roberti atq; Richardi, quod tu ais, Ducum Principumq; declarationi & confirmationi, id est, alieno beneficio, simplex subscribendo robur addere? Richardus verò & Robertus anne Caroli antecessores erant? Etiam verò hoc modicum adhuc est.

Ita enim porrò prosequitur: *Tertio & quarto diplomate*, docemur, *regem Rudolphum Richardi filium*, *& Hugonem Capetum Roberti nepotem, ratihabuisse easdem donationes anno* 924. *&* 928. TANQUAM EORUNDEM PRINCIPUM HÆREDES. (bb) Ratihabuisse certum est. Reges enim seu jure seu injuriâ habeban-

bebantur. Regum verò ex more erat anteceſſorum ſuorum acta confirmare. At verò, ain tu, *tanquam Richardi atque Roberti hæredes ratihabuiſſe?* Audi, quàm ipſe tuus te iſte Rudolphus veteratorem atq; falſarium orbi univerſo in ſpectaculum det. Bis enim ille diſertiſſimè contrarium conteſtatur. *Præcepta*, inquit, *quæ ejusdem loci Abbates ſui videlicet anteceſſores, à* REGIBUS *&* IMPERATORIBUS *noſtris prædeceſſoribus acceperant &c.* Et mox iterum, *Confirmamus eis dato hoc præcepto, quæ ab* ALIIS *ſunt* REGIBUS *data vel conceſſa.* Explicatiùs adhuc Hugo etiam Capetus, ait: *Quapropter noverit &c. quoniam adiit noſtræ celſitudinis clementiam Odo venerabilis Abbas, humiliter ſupplicando efflagitans, quatenus præcepta quæ anteceſſores noſtri* FRANCORUM *ſcil.* REGES *fecerunt præcepto noſtræ autoritatis corroboraremus.* Numne verò quod reges Francorum & Imperatores præceperant, hoc tibi à ſucceſſoribus eorum Rudolpho & Hugone Capeto, *tanquam hæredibus*, (in hoc enim vim tuæ argutatio-

nis

nis collocas) Richardi atq; Roberti Comitum ratihabitum videtur? Profectò Pradi, si vel mica tibi, jam non dicam pudoris, sed sanæ mentis superest, cavebis seculum, imò cavebis sacram Regum tuorum purpuram, quam externi haud paulò quàm tu sinceriùs puriusq; suspicimus ac veneramur, trabalibus tuis mendaciis ac fraudibus posthac temerare. Nisi ægrotantis causæ tuæ miserrimam conditionem pernovisses, ei curandæ falsariis istis ac veteratoriis artibus operam sanè nunquam dedisses. Nunc bonum factum, quòd prodere causam, quàm deserere malueris.

Sola nunc restat Burgundionum cognominatio, Roberti Fortis posteris, inprimis Roberto Pio Regi vulgò tributa. Spectant eò tùm aliæ nonnullæ, levissimi tamen ponderis, nec responso dignæ autoritates: tùm præcipuè quarta decima. Hæc enim testimonium Hugonis de Cleriis exhibet, qui Robertum Pium à refractariis quibusdam Burgundionem per contemptum dictum fuisse asserit. Id Pradius eò facere pertendit, ut quando-

quidem

quidem Burgundiones fuerint, & Robertus iste, & pater Hugo-Capetus, doctos nos cupiát, patrimonium eorum avitum Burgundiam fuisse, ipsos etiam majoribus Childebrandinis, Burgundiæ scil. itidem Ducibus, Comitibusve ortos. Verùm epilogismus iste per se inanissimus, inde etiam concidit, quòd Childebrandinis per Nebelongum I. descendentibus quidquam in Burgundiâ fuisse, præter modica prædia privata, quæ ipsa tamen etiam ad Robertinos non pervenere, nullo hactenus argumento, quod jam demonstravimus prodierit; tum verò etiam, quòd ut Hugo Capetus cum sobole Burgundici cognomen specie qualicunq; ferret: multò quàm ista propior fuerit occasio, Burgundia scil. ab Hugone M. Capeti patre, à Roberto Rege avo, ab Eudone propatruo, & à Roberto Forte proavo in partibus administrata; quod non inficiamur. Sed titulos administrationis jure successionis per Childebrandinum traducem, ad ipsos pervenisse, eòq; ut cognomini sua ratio constet, ad superiores Burgundiæ Præsides recurrendum

dum

dum esse : hoc verò est, quod neq; nos unquam dabimus, nec Pradius unquam pervincet.

(a) *Geneal. P. 2. ſub Roberto Forti. Nous apprenons par la huitieme de ces autorités, que le duc Robert poſſedoit le Comté d'Autun, ou le même Eccard & tous ſes anceſtres avoient commandé de Pere en fils.*

(b) *Quod allegatur geneal. P.2. ſubTheodericq.*

(c) *Gen. P.1. ſub Bernardo.*

(d) *Gen. P. 1. ſub S. Guilielmo : S. Guillaume duc d'Aquitaine, de Septimanie & de Bourgogne, commandoit à toute la France, pendant le regne de l'Empereur Charles magne ſon couſin, iſſu de Germain.*

(e) *Gen. P.1. ſub Childebr. II.*

(f) *Gen. P.1. ſub Eccardo.*

(g) *Ibid ſub Nebelongo II.*

(h) *Ibid. Charles le Chauve luy donná le Comté de Laon, où ſon frere Aledramne commandoit encore avec luy dont nous avons les preuves par les ancien-*

anciennes chartes de l'Abbaye de S. Denys.

(i) *Gen. P. 2. ſub Roberto Forti autoritate ſextâ.*

(k) *Gen. P. 1. ſub Eccardo versùs calcem. Il fit le teſtament &c. où nous apprenons, que ce prince eſtoit un des plus puiſſants, & des plus riches ſeigneurs de France.*

(l) *Gen. P. 1. ſub Childebrando II. Qui ſont des noms propres dela Germanie, dont le duc Pepin tiroit ſon origine.*

(m) *Ann. Met. an. 693. Francorum imperium Pipinus mirifico ordine diſponebat. Igitur Drogonem primogenitum ſuum ducem poſuit Burgundionum. Et Fredegarii continuator c. 100. Drocus verò à genitore eruditus, ducatum Campanenſem accepit.*

(n) *Gen. P. 1. ſub Childebrando I. Childebrand duc de Bourgogne eſtoit le frere du Prince Charles Martel, & poſſedá le Comté d'Autun aprés la mort des enfants de ſon frere aisné Drogon, qui avoit ſeul le droit de donner les titres de duc & de Marquis dans cette province,*

vince, comme le legitime patrimoine du Prince Pepin son pere.

(o) *Cap.* 109. *&* 110.

(p) *Gen. P.* 1. *sub Childebr. I.*

(q) *Gen. P.* 1. *sub Eccardo.*

(r) *Ibid. sub Nebelongo II.*

(s) *Gen. P.* 2. *sub Roberto Forti.*

(t) *Gen. P.* 1. *sub Bernardo I. loquens de Bernardo II. ejus filio: Bernard duc de Septimanie & Bourgogne &c.*

(u) *Gen. P.* 2. *sub Theoderico.*

(x) *Gen. P.* 2. *sub Richardo Duce, diplomate Monasterii Patriciacensis.*

(y) *Gen. P.* 2. *sub Roberto Roberti Fortis filio: Nous apprenons par la premiere de ces chartes, que le Roy Eudes fils de Robert comte d'Autun surnommé le vaillant, ratifiá en l'année* 889. *toutes les donations, que ses ancêtres avoint accordées en faveur du Monastere de S. Marie de Tournus.*

(z) *Antecessorum latinum nomen vafrè Pradius in Gallicâ* ancestres *vertit, abusus vocabulorum affinitate ac derivatione, cùm dicendum fuisset* predecesseurs.

 (aa) *Ibid.*

(aa) *Ibid. sub Roberto Roberti Fortis filio: Par la seconde, que le duc Robert son frere, & le duc Richard son cousin, confirmerent l'anneé 915. en qualité de Comtes de la haute Bourgogne, les mesmes donations, & que le Roy Charles le Simple autorisá de sa signature, & de son seau la declaration de ces deux Princes.*

(bb) *Ibid. Par les deux suivantes, que le Roy Rodolphe fils du même Richard, & le Roy Hugues Capet petit fils du mesme Robert ratifierent les mesmes donations dans les années 924. & 928. en* QUALITE' D'HERITIERS *des mêmes Princes.*

XIV.

Quod reliquum est causationis Pradianæ refellitur.

SUperest adhuc aliquid causationum Pradianarum, inane quidem illud & expers virium apud gnaros atq; cordatos arbitros; idem tamen ignaris illudere haud fortassis perinde inidoneum. At

At verò haut multis quidquid ejus est, diluemus. Agmen ducant penultimum atq; ultimum eorum diplomatum, quorum priora quatuor modò dimisimus. Altero istorum Eudo Rex Tiliniaci prædium cathedræ Episcopali Augustodunensi restituit; altero autem Walo Episcopus idem prædium Capitulo Cathedrali in augmentum sustentationis transscribit. (a) *His evinci* opinatur Pradius Eudonem Regem, Ducem Richardum (utpote Theoderici Camerarii Augustodunensis Comitis præcedente capite non semel nobis memorati filium) & Manassem, ejusdem Theoderici ex alio filio nepotem; uno eodemq; stemmate progerminâsse. Unde dein contendit Roberti Fortis liberos Eudonem & Robertum, hujusq; posteros, Capetinos putà Reges, pariter ut Theodericum & Richardum, & Manassem per Eccardum prosapiâ Childebrandinâ ortos. Verùm ut paucis hoc absolvam; etsi daremus triumviros, quos laudat, eâdem stirpe prosatos: Childebrandi tamen progeniem fuisse, quod Pradio unicè in votis est, ut multoties

jam diximus, omnium minimè exiret. Jam pridem enim nullos Eccardo fuisse filios, saltem legitimos convicimus, per quem tamen, quippe Theoderici Camerarii ac Nebelongi II. suppositititium patrem à Childebrando I. deductos vult unà omnes. Deinde verò Eudonis diploma, quæ huc trahi queant, pauca hæc præbet: *Adalgarius Episcopus nostræ retulit Serenitati, qualiter villam Tiliniacum, quam nos jure proprietatis possidere videbamur, S. Leudegarius suæ Ecclesiæ æternaliter contulerat possidendam; & postquam à præcedentibus nostræ prolis parentibus simulq́; hæredibus injustè ac contra legitimam rationem fuisset malè usurpata &c.* Walonis autem Episcopi instrumentum, dum villâ eâdem in favorem Capituli Augustodunensis cedit, inter alia hanc donationis legem dicit, ut pro Manasse Walonis fratre, qui eam malè itidem usurpaverat, & nunc restituebat, ad DEUM preces assiduè funderentur. Prius istorum diplomatum sine die & consule est, eoq́; ipso subleſtum. Si quid tamen veri habet: ante annum 898. quo Eudo

Eudo Rex decessit, scriptum fuisse oportet; alterum verò à Pradio ad annum 918. refertur. Illo Eudo Rex Tiliniacum possedisse, & Adalgarii Episcopi suasu restituisse, hoc Manasses eandem villam injuriâ suam fecisse, dehinc interventu Richardi Ducis patrui dimisisse dicitur. Casus utriusq; instrumenti omnino diversus est, & Manassis iniquitas Eudonis restitutionem haud modico intervallo secuta. Causæ etiam utriusq; possessionis inter se plurimùm distinctæ. Nam Eudo, siquidem verba illa, *quæ à præcedentibus nostræ prolis parentibus simulq; hæredibus &c.* sani sensûs aliquid habeant, possessionem à majoribus seu paternis, seu maternis (nec enim hoc definitur) in se devolutam acceperat. Manasses verò novo qualicunq; titulo eandem invaserat. Jam velim mihi Pradius ex hisce rectâ consequentiæ lege eliciat, Eudonem & Richardum, & Manassem ejusdem stirpis germina, nedum Childebrandinos fuisse. Possederint sanè majores Eudonis materni, imò possederint & paterni, Robertus Fortis ejusve

 pater

pater è Teutonibus advena, privata apud Augustodunenses prædia, quid hinc Childebrandini traducis in ipsos influet? Par autem cum istis Walonis & Manassis est ratio. Quare nec hos è Childebrandinis ortos, hoc indicio vel acutissimus prospexerit. Quid verò multis hisce immoror convellendis, cùm ipse extemplò de fide & robore eorum omnium diplomatum addubitet, eòq; quidquid probationis apud incautos inde sibi polliceri potuisset, flatu uno ipse pessundet. *Regeret forsan aliquis*, ait, *de horum instrumentorum sensu non adeò liquidè constare, ut nihil dubitationis reliquum faciant?*(b) Probè conscius nimirum futilitatis rationum suarum, quibus causam perpetuò frangit mage quàm corroborat, & seu vi veritatis, seu metu non emansuræ aliunde, etiam ipso dissimulante confusionis adductus, pretium earum, quod nullum est, silere non potest. Ut tamen sic quoq; genio litet superbo ac turgido, morbumq; malignè tegenti: ex personâ lectoris dubitare videri cupit. Sed nimiùm se prodit improvidus, quando impulsu

pulsu vicinæ desperationis subitò ad alia confugit, illis ipsis, quibus opitulatum it futiliora, & ratiunculas adsciscit, ex circumstantiis, ut vocat, nonnullis haustas. Pergit enim: (c) *Verùm vis quâ pollent probandi eò magis intenditur, quòd stipetur circumstantiis aliis, queis docemur, illos qui ejusdem familiæ fuere, eadem nomina cooptâsse, eadem prædia possedisse, eosdem honores gessisse, eademq; imperia in loca eadem exercuisse; addictos fuisse iisdem factionibus, easdem rationes secutos; coluisse eosdem religiosorum cœtus. Id quod convincere meritò debeat illos, qui antiquitatis ignari non sunt.* Heu te verò miserum cum genealogiâ tuâ regiâ Pradi, qui speres dubia dubiis sanari, & incerta incertis cumulata demonstrationem eniti, lectoriq; sano imponere posse. Nam si vel mille probabilitates in eandem rem congesseris: Apôdon quidem intempestivo clamore tuo, apodixin profectò nunquam effeceris. Possem hoc solo te & quod reliquum est affaniarum tuarum manumittere, & causam hanc genealogicam jam nunc cujuscunq;

 tantil-

tantillum salem habentis judicio subjicere. Sed quò evidentior sit clades tua, ecce! habeas tantisper has quoq; ultimas naufragii tui tabulas, & quid tibi profuturæ sint spectes.

Equidem de honorum prædiorumque identitate, quam hîc recoquit Pradius, quid tenendum sit, jam exposuimus. Ex cœteris in limine collocavit nominum similitudinem ac vim nescio qualem, quæ à majoribus, quos Pradius Capetinis largitur accepta, posterisq; imposita ostendant, ejusdem utrosq; progeniei fuisse. (d) Magni hanc circumstantiam momenti esse vanissimus nominalis jactat, & Andream Chesnæum in genealogiis suis evicisse, quòd omnibus vetustis familiis in usu fuerit, nomina fundatorum suorum in posteros continuare. Interim tamen aliud quod ad hanc legem adversùm nos torqueat, habet ferè nihil, præter Childebrandi & Nebelongi nomen, quorum quodq; bis omninò usurpatum. Quod cùm inter Childebrandum I. & ejus factitium abnepotem Nebelongum II. terminetur: possemus fortasse

taſſe hoc ſyſtema quatuor generationum, cum vi ſuâ nominali (etſi Nebelongum II. eò non pertinere ſuperiora noſtra jam evictum dederint) connivendo tranſmittere, ut quod nec Childebrandi prolem Merovingiis, imò ne Arnolphinis quidem, nec Roberti Fortis poſteritatem, quod hîc potiſſimùm agitatur, Childebrandinis inferat. Meminiſſe tamen debebat Pradius, ſæpe nomina per mulieres in alienas familias illata; cujus rei clariſſima ſunt exempla, ut necquidquam argutari queat, Nebelongum ex. gr. ſecundum nominis indicio à Nebelongo I. per mares proſatum eſſe. Poterat enim & per fœminas. Cœterùm ut omnia iſta Pradio daremus: ſi hîc ei fides habenda, cauſam ſuam miſer iterum turpiſſimè fœdavit, aut etiam diſperdidit. Nam propria rurſum tela in eum retorquemus. Merovingiis enim Chlodovæi, & Merovæi, & Chilperici, & Chlotarii, & Dagoberti, & Sigeberti, & Guntramni, & Childeberti, & Chariberti, & Chlodomiri, & Theoderici, & Theodeberti conſtanter uſurpata invenimus nomina.

At in illâ quæ S. Arnolfo, seu fallè, seu ex vero adscribitur bene multa posteritate, eorum omnium præter Theodericos aliquot (qui tamen ad Roberti Fortis majores adscititios in lineâ rectâ nequaquam pertinent, proinde nec ad rhombum veniunt) & Theodebertum omninò unum, & si quod simile fortasse tertium sit, reperire nullum est. Quid verò mirum, si in tam numerosam, ut Pradius depingit, gentem, nomen unum atq; alterum, regnatrici familiæ receptum cœteris undiq; præteritis, sive per fœminas, sive per susceptionem ex sacro fonte sive aliunde irrepserit? Profectò si omnes Theodericos cum suis agnationibus è Merovingiis processisse contendat Pradius, magnam sibi provinçiam delegerit. Jam ne in Carolinâ quidem prosapiâ Merovingiorum vestigia per nomenclaturam deprehendere est. Pipini enim, & Caroli, & Carolomanni eam ferè totam absolvunt. Chlodovæi autem seu Ludovici, & Chlotarii sive Lotharii memoria quòd inter eos resuscitata videatur, id non sanguini ex Merovin-

giis

giis deducto, sed successioni in regno, quod Merovingiorum fuerat, in regum antecessorum reverentiam tribuendum est. Pradio igitur & Chesnæo Ducibus ex his protinus inferendum erit, Childebrandinos unà omnes, quin & Martelli posteros, quippe nominibus, quæ Merovingiis familiaria fuerant privos, ad Merovingias origines incassum aspirare. Quin etiam, cùm Roberti Fortis progenies non modò antè, quàm regno poti-retur, sed & regno jam admota usq; ad Ludovicum sextum, ne unum quidem Arnolfinæ genti, nedum Merovingiæ familiare nomen adsciverit, sed Robertos meros & Ottones, & Hugones, ac Henricos produxerit, quæ nomina, ut Gallo-Francis in eum diem, propè in totum ignota, ita Germano-Francis perquàm communia fuerunt: quis ad legem Pradianæ dialexeos ambigat, eam non modò nec Merovingiam, nec Childebrandinam, sed & ne Franco-Gallicam quidem fuisse, verùm origines suas, quod Aimoinus cum sequacium suorum cohorte jam pridem, & Chiffletius novissimè

jure pertenderunt, à Francis Orientalibus sive Teutonicis repetiisse?

Jam quòd eandem factionem, easdemq; statûs rationes fortè secuti sint illi aliquando omnes, de quo tamen haud liquet, quos Pradius Childebrando I. posteros dat: id oppidò parùm momenti, nisi apud levissimi judicii vulgus facere potest. Pari enim efficaciâ quis arguerit, quoscunq; cum Childebrandinis in eandem factionem venire solitos, quorum haud dubiè ingens fuit numerus, ejusdem etiam cum illis prosapiæ fuisse, quod omnimodè absurdum foret. Quin imò, in discordiis civilibus solent haud rarò, qui ejusdem gentis sunt, consultò diversis se partibus addicere, ut alterutrâ superante, tota progenies per suos gentiles victrici addictos salva sit. Quàm ergò ex hâc in factiones contrarias secessione ad diversitatem familiæ, ita neque ex opposito ad identitatem generis, nisi alia evidentiora subsidio sint, securè intuleris. Utrinq; enim à regula divortium fieri potest; nec minùs cernimus ejusdem prosapiæ viros in diversas factiones

ctiones labi, quàm distinctissimi sanguinis alios in eandem concurrere. Vanissima hæc talia sunt.

Ejusdem verò etiam farinæ est, quod à cultu sacrorum locorum & religiosorum cœtuum struitur, ut videlicet, qui uni loco aut cœtui beneficè faverunt, unius protinus familiæ habendi sint. Huic enim regulæ si locus fiat, quot non stemmata diversissima in unum, imò in Capetinum, Pradio genealogo admodum liberali, confluent? Multa sunt, quæ familiis toto cœlo dissitis, ut in ornandâ eâdem æde concurrant, ansam præbere queunt; vicinia, successio in prædia, queis jus patronatûs annexum, successio in magistratûs loci, devotio erga sanctum Tutelarem, loci sanctitas ac fama, exemplum, denique & casus aliquis; ex quibus ad sanguinis propinquitatem argumentando descendere ingenii perquam inanis foret. Sed & computet, cui volupe est, à Pipino Duce usq; ad Hugonem Capetum, quot ex omni illâ serie in uno hominum DEO dicatorum cœtu, præ alio beneficiis extollendo concurre-

 rint:

rint: & inveniet ipſum illud Pradii ſuppoſitum ex toto collabaſcere. Ex his igitur omnibus aliud, quod dixi, nihil confeceris, quàm Pradium laborantis nimiùm cauſæ ſuæ, ac jam deploratæ gnarum ſolâ deſperatione actum eſſe, ut remedium ex ejus generis inaniis tentandum putaret.

Neq; majoris pretii ſunt, quæ ex teſtimoniis perperam obtortis emendicata, & hinc inde per librum ſparſa adhuc ſuperant argumenta. Illud Abbonis Poëtaſtri non ſine cauſa hîc locum ſibi peculiarem vendicat. Sic habet: (e)

Interea Carolus regno vitâ quoq; nudus
Viſcera Opis Divæ, complectitur abdita triſtis.
Lætus Odo regis nomen, regni quoq; numen
Francorum populo gratante faventeq; multo.
Ilicet atq; manus, ſceptrum, diademaq; vertex;
Francia lætatur, quamvis is Neuſtricus eſſet.

Nam

Nam nullum ſimilem ſibimet genitum reperiere.
Nec quia Dux illi Burgundia defuit, ejus
Neuſtria ad inſignis nati concurrit honorem.
Sic uno ternum congaudet ovamine regnum.

Cave tibi ſis Pradi, ab hoc vate tuo; malum auferes! Agit enim hoc poëma de Caroli Craſſi Germaniæ Galliæq; Regis deſtitutione atq; obitu, cui anno 888. ſublectus in Galliâ fuerit Eudo. Hunc ut Pradius commodius S. Arnolfi & Childebrandi I. poſteris innectat: verſibus hiſce adverſus Chiffletium (f) nititur, *Neuſtrium*, hoc eſt Franco-Gallum natalibus fuiſſe. Id tametſi largiremur indigo inanis ſolatii adverſario: nihil tamen exin omnino adverſùm nos profecerit. Namq; ne ſic quidem neceſſe eſſet, Robertum Fortem Eudonis patrem, unà cum filio Neuſtrium origine, ſed ſummùm civitate tantùm, in quam è Teutonibus advena aſſumptus ſit, concedere. Imò ut etiam origine Neuſtrium dare-

daremus : cauſæ id noſtræ in nihilo incommodârit, quæ in eo verſatur, ut Capetinos aliâ potiùs omni quàm Childebrandinâ, aut Arnolfinâ aut Merovingiâ proſapiâ exiiſſe, à Pradio demonſtratum oſtendamus. Habeant ergo Neuſtrium ſi ita velint Galli Eudonem per nos quidem tantiſper. Id modò caverit Pradius, ut & per hunc ipſum in opem accitum verſificatorem ſuum, idem porrò ſatis liceat. Diligentiùs enim excuſſum in contrarium deponere deprehendemus. Agedum demus hoc Pradio, & jam excutiamus. Quis inquam iſte ſenſus eſt?

Francia lætatur, quamvis is Neuſtrius eſſet.

Per Franciam utiq; hoc loco Occidentalem illam intelligi Pradius dabit, cujus Eudo habenas ſuſceperat, nec diffitebitur Neuſtriam cum eâdem Franciâ Occidentali ſynonymam eſſe. Utraq; vox ſumi poteſt, tum latè pro omni regno Francorum Occidentali, tum ſtrictè, pro illâ videlicet Galliæ parte, quæ infra Burgundiam inter Ligerim, ſylvam Arduennam, fretum Britannicum & Aremoricam

moricam sita est. Utro sensu sumi optet Pradius perinde nobis fuerit. Idem enim utrinq; exitus eum manet. Nunc igitur prosæ redditus, qualis à Pradio nobis exhibetur versiculus, brevissimâ periphrasi hunc sensum præbet: *Franci Occidentales lætati sunt, de electione Eudonis, quamvis Francus is Occidentalis & eligentium conterraneus, concivis & sanguis esset.* At qualis iste omninò est sensus? Quasi verò concivem sibi Regem imposuisse potiùs, quàm alienum, dolori esse potuisset, & tanquam non ideo potiùs Neustriis lætandum, quòd Neustrius fuisset, quòd gentilem, & civem, & cognatum Regem consecuti essent, siquidem talis fuisset. Nisi igitur fatuum omninò hunc vatem, sensuque etiam communi privum credere velimus, fateamur oportet, latere in voculâ *Neustricus* aut fraudem, aut errorem describentium insignem, citra quem si foret, sententiâ ab isthac, quam nunc ostendit, haud dubiè diversissima exiret. Cuicunque enim non obesæ sunt nares facilè mecum animadvertet poëtam hoc voluisse: *Alienigenam*

genam

genam quidem majoribus fuisse Eudonem, nec tamen Francos Occidentales de eo sibi Rege minùs fuisse gratulatos. Ecce verò, quàm ipse poëta huic sententiæ subveniat. Commodissimè enim ratio cur sibi de Rege, quamvis alienigenâ gratulati sint Galli, è vestigio subsequitur:

Nam nullum similem sibimet genitum reperiere.

Ideo nimirum electum esse, qui peregrinis originibus erat, quòd Franci Occidentales, sive Neustrii suæ gentis aptiorem regno invenissent neminem. His convictus indiciis in eo aliquamdiu fui, ut pro *quamvis is Neustricus esset*, aptiùs legendum putarem: *quamvis Burgundius esset.* Et videbatur hæc lectio sustineri illis, quæ in Robertum Pium diu postea jactata retulimus convitia à Burgundis petita. Recolui tamen deinde, uno tantùm versu interjecto sic iterum haberi:

Neustria ad insignis nati concurrit honorem.

Id verò ad superiora illa quibus Eudo Neustrius esse jubebatur referendum esse facilè

facilè cognovi. Ast cùm metrum ut hîc pro Neustriâ *Burgundia* velut illic pro Neustrico *Burgundius* succenturiaretur repugnaret: deceptum me hâc opinione animadverti. Tandem aperire se visa est illata versui, seu casu aut ignorantiâ descriptorum, seu dolo falsariæ manûs, depravatio, sensumq; & veram lectionem sic restituendam:

Francia seu mavis
Neustria lætatur, quantumvis Austrius esset,
Nam nullum similem sibimet genitum reperere.

Et porrò:

Austria ad insignis nati concurrit honorem

Austriam priscis non poëtis modò, sed etiam historicis Francorum, pro Austrasiâ dictam notum est. Hâc igitur lectione toti poëmati, & his inprimis versiculis sua lux & facies genuina sensusque germanus redit. Ita enim & historiæ convenit, quæ tradit electionem Eudonis etiam ab Austrasiis ratihabitam fuisse, & natum Teutonicis majoribus Eudonem

nem Robertumq; Fortem hinc quoque docemur. Et hoc quidem Aimoino subvenit, qui Roberto Saxonicas, hoc est, Teutonicas origines asseruit. Illud autem Reginoni aliisq; ex amussim concinit. Nam Arnolfus Austrasiorum, hoc est, Francorum Orientalium tam Lothariensium, quâm Transrhenensium Rex, cùm regnum Galliæ à Fulcone Rhemensi Archiepiscopo oblatum respuisset; electionem tamen Eudonis probavit. Reginonis testimonium cui respondent Annales Metenses, Pradius ipse nobis suppeditat, & utrinq; sic habent: (g) *Interea Galliarum populi in unum congregati, cùm* CONSENSU *Arnulfi Odonem Ducem, filium Roberti, de quo paulò superiùs mentionem fecimus, virum strenuum, cui præ cæteris formæ pulchritudo & proceritas corporis & virium sapientiæq; magnitudo inerat, Regem super se pari consilio & voluntate creant.* Reginoni autem & Annalibus Metensibus accedunt Hermannus Contractus, Annales Fuldenses, & Witekindus, quorum textûs alio loco usu venient. Quandoquidem verò ubi veri-

veritati ſemel ſua ratio conſtitit, omnia pro eâ conſpirare ſoleant: redditur hâc lectione verſui quoq; ultimo ſuus ſenſus:

Sic uno ternum congaudet ovamine regnum.

Qui indicat, Arnolfo Cæſare cum Franco-Gallis ad Eudonis electionem concurrente, univerſa Francorum regna, hoc eſt, Lotharienſium, Transrhenenſium, & Neuſtriorum Eudonis elevationi manûs dediſſe. Et vel maximè hinc noſtra lectio roboratur. *Sic* enim, hoc eſt, *hâc ratione* terna congaviſa eſſe in Eudone electo regna ait, quia verſu proximè ſuperiore retulerat, Auſtraſiam, quæ & Lotharienſe & Teutonicum regnum comprehendebat, in eum concurriſſe. Quæ verſuum connexio, quod tamen neceſſe eſt, non conſtaret, ſi pro Auſtraſiâ priore verſu Neuſtriam intellectam voluiſſet. Conſultius igitur Pradio erat, tam inimicum ſuæ cauſæ teſtem ad Garamantas ablegare, quàm libro inſertum ſuo omnium oculis, ſeq; riſui exponere.

Abboni poëtaſtro Monacho ſuccedat alter

alter Abbo S. Benedicti ad Ligerim Abbas, proſâ ipſâ, juxta cum priore poëtizans. (h) Is Robertum Pium Capeti filium & ſucceſſorem deſignatum his compellat: *Dulce decus meum Roberte, quem atavis regibus editum divina pietas perduxit ad regni faſtigium.* Neminem literatum fugere poteſt, commodatò ſumptum hunc eſſe floſculum ab Horatio Flacco poëta, proindeq; niſi genus Roberti Pii aliunde docti eſſemus, regium fuiſſe: certè poëticâ hâc Abbonis autoritate, non magis id nobis perſuaſum foret, quàm Mecœnatem Flacco teſte regiâ ſtirpe editum. Ut tamen & ſic poëtæ ſua fides conſtet: ſufficit Robertum patre proavoq; regibus genitum, regem quoq; habuiſſe propatruum Eudonem, ut atavis Regibus editum cani potuerit, quando atavorum nomine majores quicunq;, ſæpe & collaterales, maximè poetis veniunt. Quare Merovingium fuiſſe Robertum Pium, quod Pradius captat, minimè hinc conſequitur. Poſſit igitur hoc teſtimonium Danti alicui alterive conſimilis diſciplinæ viro, Capetinæ

tinæ propaginis haud ex officio reverenti refellendo fortaſſis uſui eſſe, quorſum etiam à Pradio applicatur. Aſt Capeto ejusq; poſteris in ſtirpem Merovingiam adſciſcendis, quod itidem intendere videtur, nequaquam proderit.

Quòd ſi inſiſtat adhuc Pradius, ut alicubi facit, Eudonem ſecundùm legem ſive morem Francorum regno admotum, iſtam porrò legem ſolio arcuiſſe, quoscunq; à ſtirpe regiâ alienos: conſequi igitur Eudonem majoribus Merovingiis ſatum fuiſſe: remittam eum protinus ad illa, quæ in eundem hunc ſenſum Pipino Brevi ac per hunc S. Arnolfo Merovingiorum proſapiæ inferendo à Pradio ſervire juſſa, & à nobis exploſa ſunt. Addam verò iterum Fulconem Galliæ Primatem, & doctiſſimum ſui temporis Pradio teſte, (i) & rerum patriæ ſuæ, ut ordo atq; officium poſtulabat, longè peritiſſimum, qui Eudonem *à ſtirpe regiâ alienum*, jam dudum & illo ipſo ævo pronuntiavit. Clamet ſanè Pradius ad ravim usq;, *alienum* dici Eudonem, reſpectu Caroli Simplicis tantùm, *qui frater*
filius,

filius, nepos& quatuor regum & legitimus hæres posterorum Ludovici Pii fuerit, qui regnum à seculo jam tenuissent: nihil tamen omninò promovebit, quàm ut mirabilem prorsus cæcitatem suam perversamq; indolem eò magis in propatulo constitutam, risui publico objiciat. Alibi enim inter præcipua suæ causæ adminicula allegârat: *Decedente Francorum Rege populo jus factum fuisse, quemvis de domo regnatrice, nullâ propinquitatis habitâ ratione regno admovendi.* (k) Stante igitur hâc lege, si stirpe regiâ fuit Eudo, quantumcunq; Carolus Antagonista Regi ultimùm defuncto sanguine propior fuerit: sanè cùm sufficeret regio stemmate Eudonem prodiisse, ut regni capax esset: nec Caroli, nec alterius cujusvis intuitu extraneus haberi dicive poterat. Quâ igitur fronte Fulco non alienum tantùm à stirpe regnatrice, sed & tyrannicum in vasorem proclamâsset? Cogitur itaq; Pradius aut fateri nullam, ut res est, fuisse cujusmodi finxit legem seu morem, qui Fulconem utiq; latere non potuisset, unaq; concidere argumentum inde ductum:

ductum: aut Eudonem à stirpe regiâ non Caroli tantùm respectu, sed absolutè alienum concedere. Patet hinc quàm vanè huic vulneri mederi putaverit Pradius, si textum Flodoardi ex integro adjectum exegesi etiam illustraret, quamq; calumniosè hoc loco, ut multis aliis, & parùm ex ingenui hominis officio iterum insectetur Chiffletium de operâ ad suggillandum RegesChristianissimos pretio locata; quàm deniq; ipse potiùs operam suam, vel nummis, vel certè, quod perinde aut pejus est, putidis assentationibus adeò mancipaverit, ut nullâ terræ, nullâ cœli curâ, jus verumque omne passim proculcaret, modò regibus suis, fucum haud dubiè aspernantibus, viam ad Merovingiorum inprimis vetustam domum, deindè ad vicinorum latè injuriam oppressionemque mentiendo sterneret.

(a) *Geneal. P. 2. sub Theoderico II. Sur l'autorité des titres de l'Eglise de S. Nazaire d'Autun, que j'ay rapporté à la fin du dixiême degré, ou nous apprenons, que le Comte Manasses, le Roy*

Eudes, & le duc Richard estoint sortis de la même maison.

(b) *Ibid. sub Roberto Roberti Fortis filio. On dirá peuteſtre, que les chartes ne s'expliquent auſſi clairement, qu'ellesne laiſſent quelques ſujećt de doute.*

(c) *Ibid. Mais la preuve en eſt d'autant plus forte, qu'elle eſt accompagneé de beaucoup d'autres circon ſtances, qui juſtifient, que ceux de la même maiſon ont affećté les mêmes noms, poſſedé les mêmes ſeigneuries, les mêmes honneurs, & les mêmes dignites, commandé dans un même lieu, ſuivy le même party, & les mêmes intereſts, & favorisé les mêmes monaſteres, ce qui doit perſuader pleinement ceux, qui cognoiſtront l'uſage des ſiecles paſsés.*

(d) *Gen. P. 1. ſub Childebrando II. ad finem: Je prie en cet endroit nos ſçavans, de faire un moment de reflexion ſur les noms de Childebrand, de Theoderic & de Nebelong, affećtés particulierement à ceux de cette maiſon, par la conſideration de Childebrand duc de Bourgogne, & des Princes Theoderic & Nebelong ſes*

ses fils, qui sont des noms propres de la Germanie, donc le duc Pepin tiroit son origine. Cette particularité est de tres grande consequence, & André du Chesne à justifié, dans ses genealogies, que toutes les familles avoint retenu les noms propres de leurs fondateurs.

(e) *Gen. P.2. sub Roberto Forti autoritate undecimâ.*

(f) *Ibid. sub Roberto Roberti Fortis filio.*

(g) *Ibid. sub Roberto Forti autoritate nonâ & decimâ.*

(h) *Ibid. sub Hugone Capeto.*

XV.

De prætensionibus Gallicis in genere.

VErgimus nunc ad alterum hujus tractationis caput, disquisituri, quî se tanto promissor hiatu promissi postulatus, exoluturus sit, qui tanquam confidentiam in ventre gereret, *demonstrandum* in se recepit, *quòd Regibus Ludovici XIV. præcessoribus conservata sint ea omnia, quæ seculo salutis quinto Franco-*

rum armis subacta. Nec enim mediocri iratus incedere videtur iracundiâ Thraso, cui mente resedit, totius Europæ dispendio Regibus suis commodatum velle; cui inquam satis non est, ea regum suorum ad hunc diem mansisse, quorum possessio à seculo nono cum regno Francorum Occidentali per Carolum Calvum, qui primus demum ei Rex obtigit, perq; Reges ejus successores ad modernum Ludovicum XIV. transmissa est, quæq; à nemine, quod sciam, ampliùs nunc admodum controvertuntur. Provehitur ultrà, & continuato supercilio vaniloquentiam suam etiam ad illa extendit, quæ tametsi à Galliâ Occidentali jam pridem jure diversa, seculo tamen quinto Francica fuere, & à quibus per notissimam regni Francorum inter liberos Ludovici Pii initam divisionem Gallia Occidentalis secessionem fecit. Nam & ipse mox Pradius in hunc sibi sensum interpres est, quando quos *prætensos* dicit *Caroli M. successores, legitimo Francorum Regi* (Gallorum dicere volebat) *velut autocratori suo ad homagium teneri* basilicâ editione aut dictato.

ctatoriâ venditat. Illi enim Carolini ſanguinis, quam hîc homagii præſtandi frivolè damnat, hodienum, (rumpantur ut ilia invidis) florenti propagini, præ aliis eorum, quæ Francica ſeculo quinto, & tamen à Galliâ Occidentali diverſa fuere, pars magna per proxima hæc ſecula poſſeſſa fuit, ac etiamnum poſſidetur, ut dubitari nequeat, Pradio unà falce demetere conſtitutum eſſe, non modò quidquid Auſtriaci cis Rhenum tenent, ſed quidquid uſpiam illo ævo Francicum audiit.

Ad hunc verò cenſum quæ pertineant, illorum, aut è proximo ſecutorum temporum ſcriptores ſtylo quidem rudiore, ſic ſatis tamen explicatè ad nos transmiſere. Perſtrinximus eas jam tum leviter poſt initium hujus libri, & huc lectoris pace nunc revocabimus, non aliâ tamen, quàm quæ à Moſa Scaldiqúe in Orientem vergunt. Nam quæ inde in Occidentem abeunt, Franco-Galliæ Regum jam tum ab origine regni ſui, hoc eſt à ſeculo nono cùm fuerint, & nunc quoq; ferè omnia ſint: nullam hîc con-

tentionem movent. Inter alia itaq; ista Merovæo & Chilperico Regibus, tum ipsorum, tum & cœterorum inter Francos regulorum armis subjecta sunt, quæcunq; Rhenus inferior Scaldisq;, & Oceanus ambiunt; deinde verò superiora etiam illa ab Ubiis ad Mosellam Mosamque; Chlodovæo autem Rege, vel ipsius, vel etiam Sigeberti superiorum Francorum Transrhenensium Regis, aut si quis huic socius fuit, auspiciis, quidquid inter Mosam Rhenumq; Alemannni ac Burgundiones Romanis adhuc reliquum fecerant. Et ista quidem seculo quinto necdum exacto. Secularem deinde ipsum annum sexcentesimum, ut calculus communior fert, pari Francorum fortunâ, Marte communi ductu autem Chlodovæi nobilitavit excidium Alemannorum, quo Alsatia atq; Helvetia Romanorum sortem secutæ sunt, & Franciæ pomœria ad meridiem in Alpes usq; protensa, Rhenusq; etiam superior Francicus factus. Hæc igitur nullo excepto universa Pradio judice Regum Gallorum jure censeri nemo ambigat. Seculum enim quin-

quintum ea tulit. At quî & Transrhenana illa eidem fato litatura sint, nunc inspiciamus. Pleriq; eâ stant sententiâ, Sueviam quoq; ex utraq; Danubii ripa, & Bavariam quantacunq; tunc fuit (& fuit à Lyco Danubioq; in Alpes & Noricum ad Anasum usque amnem & Italiæ fines latè protensa) Alemannorum continuatâ clade percussam; quin & Franconiam quæ hodiè dicitur, & dexteram Rheni ripam usq; ad Lonam fluvium cum Hassiâ superiore, alii adjiciunt. Hoc quidem certò perperam, cùm Francorum ea seculo quarto inclinante jam fuisse alibi discere sit. At de Sueviâ Bavariâq; res incerta est; cùm ex historiis doceamur, gentes Germanicas inter Danubium Alpesq; Theoderico Ostrogothorum Regi nexu qualicunq; addictas fuisse, quo certè vivo Francorum factæ non sunt. Et hoc igitur indicio & aliis verosimilius est, armis demum à Justiniano Cæsare in Ostrogothos motis sponte opis comparandæ causâ cedentibus Ostrogothis seculo sexto jam adolescente, Francis eas accessisse. At frustra hinc vel Suevi sib

vel Bavari adversùs Gallicam messem & Pradianam jurisprudentiam blandiantur. Incerta enim his pro certis esse coguntur, quoties in rem suam ea facere comperiunt. Quin verò etiam, quæ seculi sexti primordia tulere, Galli quinto seculo in mantissam computaturi sint, nemo dubitet. Ast Hassia infra Lonam, totusq; Rheni inferioris tractus Teutonicus usq; in Frisios, cùm primæva gentis incunabuia fuerint, seculo itidem quinto Francis possessa fuisse manifestum est. Thuringi pariter, atque etiam ut credere licet, ante Bavaros subacti sunt, sexto quidem seculo, ita tamen ut Gallicâ liberalitate quinto in appendicem ventura sint. Saxonum etiam cis Visurgim plerió;, & qui Thuringici regni inferiora ad utrumque Hartici montis latus à Francis operæ navatæ præmium tulere, saltem inæqualiter fœderati, pars & tributarii cùm fuerint, quod indiciis haud levibus deprehenditur: non est quod sibi de æquitate Gallorum aliquando gratulentur, qui cùm Regum suorum non aliud in qualitercunque subjectos imperium

præter-

præterquam despoticum palàm tueri audeant, nec inæqualiter fœderatos, nec tributarios, nec qualemcunq; per pacta temperatam subjectionem agnituri sunt. Frisii etiam, quorum pars magna nunc Hollandi, Caroli Martelli & Pipini Regis virtute, Saxonum verò reliquæ universæ gentes & Slavicæ nationes usq; ad Vistulam, & Pannonia ab Anaso in Orientem longè protracta, & regiones à Maro flumine usq; in Dacas, tum & Italia, si literam Pradianæ editionis, ad seculum quintum restrictæ inspicias, possint fortasse mitiora sibi promittere. Sed verbis neu credite Teucri! Mentiar, quando occasionum aura faventior ea quoq; impunè invadendi Gallis copiam fecerit, nisi cum ludibrio etiam nostro argutaturi sint, non pertinere illa ad quinti seculi incrementa directè quidem; pertinere autem in consequentiam, ut quæ regionibus, quæ tum Francorum fuerint, accessio deinde facta sint. Esse verò juris regulam, ut res cum suis accessoriis transeat. Ita nimirum dependentiarum illa nostro hoc ævo ex orco nata

pestis, omnia vastans, à Rheno in Orientem, & à Batavis atq; Helvetiis per omnem quaquà patentem Germaniam, in Pannones usq; & Dacas & Sarmatas & Danos & Siculos grassabitur, si per socordiam nostram licuerit. Utinam verò vanus sim vates!

Quæris quo juris adminiculo, quâ isthæc dialexi ausuri sint Galli? Illâ inquam, quâ jam olim Quiritibus *jus in armis*, & notum illud, *væ victis!* occinuere nobisq; occinent, nisi viri simus. At speciem saltem justi æquique requiris? Accipe eximia publicæ Gallorum jurisprudentiæ cimelia; regulas, quas sibimet haud inficeti omninò juris fabri, quâ pollent super omnia jura autoritate, & quo in populos etiam liberrimos, benigno gaudent naturæ privilegio, præstituerunt: *Æternas, immobiles, indispensabiles & sacrosanctas esse leges regni sui, quas vocamus fundamentales.* Illas autem jubere, *ut vis regiarum concessionum quarumcunq; vitam impertientis ne excedat; ut bona, juraq;, imò regna, etiamsi nihil prorsus cum Galliâ commune habentia,*

tia, si Regibus Gallis, quocunq; titulo obveniant, cum Domanio, quod dicunt, coronæ adamantinâ coalitione jungantur; ut quidquid huic Domanio semel mancipatum, nullâ omninò inter gentes cognitâ ratione sortem mutare ferat; ut si quid ejus aliovorsum fortè abiverit, id quovis ævo, quâvis occasione, citra alium juris titulum, quàm quòd aliquando Domanii Gallici fuerit, repetere jusq; fasq; sit. Deniq; hujus Domanii jure censenda, quæcunque Francorum quondam latissimi Imperii (quippe cujus axioma genuinum apud Gallos hodieq; solos clueat) fuerint, & quæcunq; hisce ullo unquam tempore incremento cesserint, sive nunc adhuc eis cohæreant, sive patientiâ possessorum sui juris iterum facta sint. Hæc sunt pauca illa quidem, sed Europam universam consumere nata Gallicæ jurisprudentiæ principia. Hæ vicina quæq; depascentes herbæ. Hæ falces, queis Regum Gallicorum regniq; qualescunq; cessiones, renuntiationes, transactiones, pacificationes, quivis cum cœteris gentibus initi contractûs, & pacta demetuntur, & ni-

 hili

hili fiunt, quoties cum Galliæ rationibus collidunt. Hæc ſunt novæ gentium philoſophiæ portenta, & Harpyiæ, quas Thaumante longè damnoſiùs fœcundum hoc ſeculum genuit. Hi cardines quibus Gallica dudum decreta univerſalis monarchia vertitur. Et ne intra conſilium tantùm ſtaturam putes, manus operi hâc noſtrâ ætate jam admota eſt, Germanis præcipuè nobis exitio ventura, qui idonei Gallis videmur, quibus præ aliis gentibus tot futilium ſtropharum glomerationibus illudant, dum cupiditati atq; impudentiæ eorum neq; lex neq; tutor eſt, qui modum ponat.

Etenim ab illâ poſt Ludovici Pii exceſſum inita Francorum regni magna ac propè fatali diviſione octo jam ſecula tantùm non decurrerant, & tamen Franco-Gallornm in Germaniam Transrhenanam prætenſio ne per ſomnium quidem cuiquam in mentem venerat. Obortæ autem aliquando poſt eam diviſionem inter Germanos Galloſq; ob regnum Lotharienſe diſſenſiones, quæ utramq; nationem centum & quadraginta plùs minùs

nùs annis, potiore ſemper Germanorum ſorte exercuerant, tum aliis transactionibus, tùm noviſſimâ Henrici S. Imperatoris & Roberti Pii Regis ad Carum fluvium initâ conventione adeò reſederant, ut quod hanc controverſiam attinebat, poſt ſex ſeculorum propè Halcyoniam tranquillitatem etiam memoria priſtinæ tempeſtatis obliterata fuerit. Nam & quam anno Chriſti 1056. Henricus I. Galliarum Rex Roberti filius querelam adverſùs Henricem III. Cæſarem temerè renovaverat, eam citò ac turpiter deſeruit. Lambertum Schaffnaburgenſem audiamus, anno quem diximus ſic loquentem: *Imperator regreſſus de Italiâ Sanctum Paſcha Podebrunnæ celebravit, breviq; commoratus in Goslariâ perrexit ad villam Civois in confinio ſitam regni Francorum ac Teutonicorum, colloquium ibi habiturus cum Rege Francorum: à quo contumeliosè atq; hoſtiliter objurgatus, quòd multa ſæpe ſibi mentitus fuiſſet, & quòd partem maximam regni Francorum dolo à patribus ejus occupatam reddere tam diu diſtuliſſet. Cùm Imperator para-*

paratum se diceret singulariter cum eo consertâ manu objecta refellere: ille proximâ nocte fugâ lapsus in suos se fines recepit. Medio deinde ævo solennes inter Imperium Germanicum, Galliæque regnum Friderico II. & Alberto I. Imperatoribus factæ pactiones superiorum confirmatoriæ jure Gentium securitatem nobis spoponderant. Sed primus patrum memoriâ quem noverim Jacobus Cassanus ad Pyrenæi radices rabula forensis, fortè quòd deesset domi de tribus capellis privatum litigium, quæ curatio ejus erat, tam infami prætensionum partui obstetricatus est, qui non Lotharingiæ tantùm regno, hoc est, Cisrhenanis Imperii ditionibus, seu priscis seu modernis, sed & inauditâ temeritate Germaniæ Transrhenanæ & cœteris gentibus, quæ huic seriùs ocyus accesserunt, fatalis esse jubetur. Fovit partum Arroyus quidam triobolaris Theologus, Armacano Belgæ miserrimè habitus. Secuta est hosce obscurorum virorum, quos offa credo facundos reddiderat, grex alius, & non adeò pridem Auberius quidam fabulator

prorsus

prorſus ad eam rem unicus, per ſingulares inſanias, ut cœteris ſtultitiæ palmam præriperet, ad famam graſſatus. Quin etiam ante hunc, parciùs tamen, Petrus Puteanus, in eâ ſcholâ ſtipendium meruerat. Sed & qui Reginæ Chriſtianiſſimæ juribus in Brabantiam, nervis alienis mobile lignum, conſarcinandis calamum commodavit anonymus declamator, in eadem nomen hinc inde profeſſus eſt. Noviſſimum nunc habemus Pradium, qui hactenus quidem intra minas ſtetit. Quantum enim mihi conſtat, exundantes ubere penu copias ſuas orbi adhuc invidit, circumſpiciens credo, qui adversùm prodire ac laceſſere truculentum auſit. Selegit enim ipſe ſibi provinciam, quam exhibuimus, perquam ſanè ingentem & glorioſam ſi benè verterit. Fallor autem aut faxo, ut pœniteat. Omnibùs verò iſtis unum fuit conſilium, ut cùm deprehendiſſe ſibi viſi eſſent, regio Galliæ conſilio Monarchiam univerſalem animo ſediſſe, ipſi providerent, ne deeſſet, qui popello & imprudentioribus aliis obreperet, idque ſimpli-

ſimplicium oculis glaucoma offundens ageret, ut jura gentium everſa, fas & æquum violatum pro pulcherrimis ſanctiſſimisq; facinoribus contuerentur, eoque milites lanienæ ſe objici, cœterum pecus in belli ſumptûs deglùbi patientiùs ſinerent. In ſe itaq; tam honeſtam operam, rabulis dignam provinciam, tranſtulere. Quidquid ſit, quoniam Pradio indixiſſe nobis bellum ſatis eſſe viſum fuit: dum jam ſe continet ac poſt principia latet, obviam ultro me feram Pyrgopolinici, & inclytum apud imperitos ſui ſimiles jactatorem, ad ſubſellia vocabo, ubi procul aulicis adulatoribus, procul aſſentantium mimicâ turbâ, ſophòs illud gentilium ſuorum auditurus non ſit. Ibi, quam in ſcrinio pectoris occluſam geſtat prætenſionum regiarum haud dubiè novam aliquam, nec proletariam ſapientiam, materie contradicendi affatim objectâ proliciam. Cœterùm enim ſi veteres tantùm Caſſani, ejusq; aſſeclarum nænias adversùm nos recoquere ſuſtinuerit: ne reſponſo quidem ſerio dignum reputabimus.

XVI. *Jura*

XVI.

Jura Merovingiorum non esse continuata in Capetinos titulo familiæ.

JAm verò quò hinc enucleatiùs exeat, num quid juris in ea, quæ Merovingiorum extra Galliam Occidentalem fuere, in Reges Capetinos ad hunc diem continuatum sit, distinguendo progrediemur. Ubi quidem facilè mecum consensuros crediderim omnes, ejusmodi continuationi non nisi duplici ratione locum fieri potuisse, jure videlicet, aut *familiæ*, quâ nati sunt Capetini, aut *regni* cui præsunt. Jus familiæ intelligo, quod ita Capetinis inhæreat, ut illud privilegio domûs unde orti sunt, quocunq; secum circumferant, gavisuri eodem, tametsi Galliæ Reges esse aliquo casu desinerent. Jus autem regni id volo, quod regno ita quæsitum sit, ut cum eo in quosvis transeat legitimos possessores, adeò, ut si quo casu alienam à Capetinâ gentem Galliæ rebus præfici

con-

contingeret, quidquid illius eſſet juris, id demptum Capetinis in hanc novam regnatricem familiam unà cum regno devolveretur. Hocce quod dicimus regni jus, quàm in hâc controverſiâ pro Capetinis faciat, ſequenti capite diſpiciemus.

Prius autem iſtud familiæ proprium ut hîc perſequamur, ſi quid ejus Capetinis in illa, quæ ſeculo quinto Merovingiorum fuere obvênit, neceſſe eſt, obveniſſe vel jure ſanguinis, quòd nimirum Merovingiorum propagine geniti ſint, vel facto hominum ſuperveniente.

Ut hoc poſterius priore loco abſolvamus, factum illud hominum ſi quod intervênit auctores laudat, vel Merovingios Reges, vel populum ipſum Francorum. Si illos: jam aut juris ceſſionem, donationem, commutationem, venditionem, aut quemvis alium contractum, dominio vel quaſi, aut ſummo imperio transferendo idoneum, aut teſtamentariam liberalitatem interceſſiſſe conſequitur. Quorum ſi quid Gallis oſtendere in promptu eſt, expectabimus. Tùm

verò

verò & diſcutiemus an Merovingiorum in arbitrio fuerit, ut Francorum quod tenuere regnum ejusve partes eximias integrantes, in alienos à ſuo ſanguine transmittere, idq; populo invito aut certè inconſulto potuerint, & an cœteræ ſolennitates actui tam inſolito corroborando neceſſariæ præſtò fuerint. Quòd ſi verò populi factum, quod quærimus, fuit, aut illius ſingulariter fuit, in quem nunc prætenſiones Gallicæ intentantur, hoc eſt, Auſtraſiorum, qui regnum Lotharienſe atque Germanicum colentes, nunc à Mosâ Scaldiq; per utramq; Germaniam ad Orientem protenduntur; aut totius populi Francorum. Et ad noſtram quidem notitiam cum nihil pervenerit, quo Auſtraſios, quorum de corio luditur, Capetinis in ſe jus ullum tribuiſſe diſcere ſit: Pradii rurſum erit, quod actoris eſſe ſolet, rationes ſuas in medium proponere, factumq; liquidum reddere, tùm verò nova rurſum inſpectio erit, jurene ſtipatum illud factum fuerit, necne.

Jam verò quò univerſi Francorum populi ſcito eveniſſe credamus, ut Capetina

tina domus Merovingicæ in omni regno ſurrogaretur, eive in cuncta jus fieret, quæ ſeculo quinto Merovingiorum fuere, tabulas nobis teſtesve exhiberi poſtulamus. Fides enim noſtra oculata eſt; probat quæ videt. Apage autem Hugonis illam Capeti adversùs Carolinos ſuperſtites in regnum Occidentale intruſionem, quæ qualitercunq; deinde, quod non impugnamus, ſanata fuerit: certè præter Francos Neuſtrios, & qui cum illis conſenſere, cùm liberè conſentire poſſent, tenere potuit neminem. Quando enim iſta à Franco-Gallis perpetrata ſunt, Francis Lotharianis, Auſtraſiisque univerſis, ſui jam pridem imperabant Reges è Saxonum Ducibus, quorum, tùm maximè, nequaquam eos pœnitebat. Imò ſi adhæſiſſet eatenus horum allationi vitium, quod non adhæſit: id ipſum ſanatum tùm fuiſſe, quando Carolinæ reliquiæ à Capetinis ſublatæ ſunt, pertendimus. Rediiſſe enim ſaltem extinctâ alieno ſcelere Carolinorum regnatrice familiâ Francos univerſos velut ad omnimodam libertatem mente figurandum

dum eſt, quâ fretis fas fuerit, aut univerſæ reipublicæ aliam faciem, aliamq; regiminis rationem inducere: aut ſi id non arriſiſſet, aliam rebus gerendis familiam ſuccenturiare. Quòd ſi igitur familiæ novæ ad thronum provehendæ eandem in domum caſu quodam omnium vota concurriſſent: bene id quidem. At ſin minùs; neutri diſſentientium parti jus erat, alteram in ſuam ſententiam pro imperio, aut vi trahendi. Ubi pacifica conveniendi ratio inter partes iniri nulla poterat: utrinq; integrum erat, cum eo, qui ſibi in Regem placuiſſet, ſecedere à reliquis, ſicq; totidem ex uno regna condere, quot ſub diverſis imperiis factiones in corpora civilia per ſe ſtantia exiiſſent. Ita enim omninò ſe res habuit ſub exceſſum Carolinorum, præterquam, quòd non tùm primùm in plura abiiſſet regna Francorum Imperium, ſed jam pridem duplici facie, regni inquam Orientalis ſive Auſtraſiæ, & Occidentalis, quod & Neuſtriæ, per Europam claruiſſet; quòdq; pariter non tùm primùm novæ familiæ regnorum clavis præpoſitæ, ſed,

quod

quod idem erat, quæ Carolinâ progenie adhuc superstite, utrinq; seu jure, seu injuriâ placuerant, facto ipso, hoc est, continuatâ subjectione & obsequio confirmatæ fuissent. Et Austrasiis quidem Francis, tam cis, quàm Transrhenensibus placuere Saxonica domus, & quæ huic dein ad nos usq;, liberiore semper eligendi arbitratu sublectæ sunt, Franconica, Suevica, Lucelburgica, & demum Austriaca. Neustrii è contrà Capetinam semel elegere, regnoq; exinde apud se deferendo linealem agnaticam successionem seu lege seu moribus præstituere. Quin etiam, si eorum sententiæ cui non obnitor, locus sit, qui civitati regnatrice familiâ viduatæ, jus manere asserunt, statum deinceps juxta pluralitatem sententiarum ordinandi, ita, ut si civium pars major in regnatoriam gentem novam consenserit, pars minor adversans, vi etiam, nisi pacta obstent, ut cœteris se conformet, adduci queat: non modò contra nos Galli nihil evicerint, sed causâ etiam universâ protinus eos cecidisse clarissimùm exibit. Cùm enim

enim ſaltem extinctâ Carolinorum familiâ, Franci in libertatem omnimodam reſtituti, unà etiam facultate potiti ſint, rectorem ſibi, ſive ſub priſtinis legibus, ſive ſub novis allegendi: & Auſtraſii, quibus Ottones ſui retinebantur, duas univerſæ Franciæ partes impleverint: conſectaneum erit, Neuſtriorum fuiſſe, ut in horum ſententiam rectricemq; familiam concederent, ac renitentes vi etiam ad officium cogi potuiſſe. Si quid ejus factum non eſt: beneficium eo nomine Auſtraſiis debebunt, quibus eatenus jure in ipſos ſuo uti, quod poterant, viſum non fuit. Tantum igitur abeſt, ut alterutrum eorum regnorum electo ſuo jus in alterum tribuere ſuum putaverit, ut ne tentatum id quidem unquam fuiſſe legere ſit. Quæ enim controverſiæ inter Auſtraſios Neuſtriosq; tùm adhuc vigebant, Lotharingiæ regnum, quod ſæpe diximus ſpectabant, in quod Auſtraſiorum rationes Carolinis adhuc vivis & fortiores ſemper & feliciores cùm fuiſſent: iis extinctis adverſùs Capetinos citra omnem controverſiam ir-
refra

quod idem erat, quæ Carolinâ progenie adhuc superstite, utrinq; seu jure, seu injuriâ placuerant, facto ipso, hoc est, continuatâ subjectione & obsequio confirmatæ fuissent. Et Austrasiis quidem Francis, tam cis, quàm Transrhenensibus placuere Saxonica domus, & quæ huic dein ad nos usq;, liberiore semper eligendi arbitratu sublectæ sunt, Franconica, Suevica, Lucelburgica, & demum Austriaca. Neustrii è contrà Capetinam semel elegere, regnoq; exinde apud se deferendo linealem agnaticam successionem seu lege seu moribus præstituere. Quin etiam, si eorum sententiæ cui non obnitor, locus sit, qui civitati regnatrice familiâ viduatæ, jus manere asserunt, statum deinceps juxta pluralitatem sententiarum ordinandi, ita, ut si civium pars major in regnatoriam gentem novam consenserit, pars minor adversans, vi etiam, nisi pacta obstent, ut cœteris se conformet, adduci queat: non modò contra nos Galli nihil evicerint, sed causâ etiam universâ protinus eos cecidisse clarissimum exibit. Cùm

enim

enim ſaltem extinctâ Carolinorum familiâ, Franci in libertatem omnimodam reſtituti, unà etiam facultate potiti ſint, rectorem ſibi, ſive ſub priſtinis legibus, ſive ſub novis allegendi: & Auſtraſii, quibus Ottones ſui retinebantur, duas univerſæ Franciæ partes impleverint: conſectaneum erit, Neuſtriorum fuiſſe, ut in horum ſententiam rectricemq; familiam concederent, ac renitentes vi etiam ad officium cogi potuiſſe. Si quid ejus factum non eſt: beneficium eo nomine Auſtraſiis debebunt, quibus eatenus jure in ipſos ſuo uti, quod poterant, viſum non fuit. Tantum igitur abeſt, ut alterutrum eorum regnorum electo ſuo jus in alterum tribuere ſuum putaverit, ut ne tentatum id quidem unquam fuiſſe legere ſit. Quæ enim controverſiæ inter Auſtraſios Neuſtriosq; tùm adhuc vigebant, Lotharingiæ regnum, quod ſæpe diximus ſpectabant, in quod Auſtraſiorum rationes Carolinis adhuc vivis & fortiores ſemper & feliciores cùm fuiſſent: iis extinctis adverſùs Capetinos citra omnem controverſiam irrefra-

refragabiles prorſus & invictæ factæ ſunt. Neq; enim jus erat Neuſtriis, ut Lotharianis legem ferrent, quâ in regem, qui Neuſtriis placeret, concurrerent. Quin imò ſi Carolinis expirantibus Lothariani unum etiam cum Neuſtriis regni corpus conſtituiſſent, quod non fecere: non poterant inviti illo teneri, quod Neuſtriis ſolis placuiſſet. Neque enim aut minùs Franci, quàm Neuſtrii erant, aut numero, viribusve, aut libertate inferiores. Quanto igitur id juſtiùs potuere, cùm ſub exceſſum Carolinorum ne juncti quidem amplius, uno corpore Neuſtriis, idq; propemodùm à ſeculo jam fuiſſent. Uſi itaq; ſunt Lothariani jure arbitrioq; ſuo, placuitque eundem retinere Regem, quem cæteri Auſtraſii. Quare etiam controverſia, ut jam monuimus inter Imperatorem Henricum Sanctum Robertumq; Pium placidè & ex toto ſopita fuit. Et ſanè oppidò ridiculum fuiſſet, Franciam Neuſtriam, quæ ſtante priſtino illo Francorum regno, & ſub initam celebrem ejus diviſionem totius corporis tripartitò diviſi, non niſi
trien-

trientem effecerat, Auſtraſiæ quæ beſſe conſtabat, Italiamq; jam una cum Romano Imperio ſuam fecerat, leges dictare, jubereq;, ut qui ſibi in Regem conſtitutus eſſet, eidem & Auſtraſii inclinarentur. Nihil eſt igitur juris, quod vel Neuſtriorum vel Auſtraſiorum, vel denique Francorum omnium beneficio Pradius Capetinis in ea, quæ Merovingiorum ſeculo quinto extra Neuſtriam fuere, polliceatur. Unde ſi quid ejus Capetinis venire adhuc contendat, ſanguinis titulo niti eum oportet. Quod quàm rectè, nunc inquiremus.

Jura autem ſanguinis in regna vel per mares promiſcuè ac fœminas deferri ſolent, vel per mares tantùm. Per fœminas à Merovingiis in Capetinos jus aliquod in regnum Francorum tranſiiſſe, ne quidem, ſi nos vellemus, Galli paſſuri eſſent, qui fœmineam ſucceſſionem ut agnoſcerent, tot etiam cladibus aliquando fracti, adduci tamen ſe, & jure quidem meâ opinione, non tulerunt. Nec tamen ut jure non ferrent, Salicæ virtute legis factum eſt, uti tot ſeculis quàm

mordicus, tam fallè contenderunt. Salica enim illa tantis motibus & impugnata & defenſa lex, in rebus merè privatis tota eſt, atq; ut paſſim, in eo maximè loco, qui prætexi ſolebat, circa bonorum privatorum in hæredes transmiſſionem, conſumitur; quod etiam qui inter Gallos emunctioris ſunt naſi, hoc noſtro ævo tandem aliquando vi veritatis compulſi agnoverunt, & agnoviſſe profeſſi ſunt. (a) Sed vetuſtiſſimæ & cum Monarchiâ connatæ conſuetudini tribuendum id eſt, quâ fœminæ apud Francos, ut cœteros fermè Germaniæ populos republicâ arcebantur, quamq; nunc Galli, quos innuimus, prudentiores, ut diutini erroris ruborem levent, à priſcis ſui juris propugnatoribus intellectam, legisq; ſalicæ extrinſecâ tantùm denominatione inſignitam fuiſſe perhibent.

Quò igitur ſanguinis titulo Capetinis in noſtram, vicinarumq; gentium libertatem, juris quidquam Galli, vel in ſpeciem adſtruant: opus habent eò recurrere, quod toto libro ſuo Pradius fruſtra molitus eſt, ut eos à Merovingiis propagine

pagine virili descendisse convincant. Verùm tot istud eversum est hoc opere modis, ut impossibile sit Pradio eniti, nisi novos procudat ex antiquitate testes, iis quos hactenus in medium produxit locupletiores. Nam sanè si quæ alia ex semesis monasteriorum chartophylaciis (in quibus tamen excutiendis diligentiam suam adeo omnem consumpsisse videtur, ut nihil ad rem ampliùs extare tutò credi queat) eruisse posthac forsan præ se tulerit testimonia, queîs nos mactare conetur: jure reprobabimus, gnari, quàm id genus probationis hodie apud Gallos lubricum sit; docti etiam Bouchetio teste, Pradio indice, quantum autoritatis mereantur, quæ à scriptoribus eorum consimilibus, qui tesseram apud nos jam toties confregerunt, istius generis monumenta eruuntur. Stultior sanè stultissimo esset, qui regnorum fata talibus tabellis crederet, & testi, quem toties falsi reum dedi, ut propè si diem diem dixerit, hoc ipso noctem esse subverendum sit.

Sed ut quod nunc ante manum est,

exequamur, tot inquam eversa est modis, quam Pradius concinnavit genealogia Capetinorum, ut putem nemini posthac Gallo sine rubore memorandam. Ostendimus nihil frivolum magis esse, quàm S. Arnolfi majores à Sigeberto Coloniensium Rege deducere; nihil incertius, quàm hunc ipsum Sigebertum Merovingio stemmati inserere; nihil falsius, quàm Childebrandum Pipini Crassi legitimam sobolem adstruere; nihil inanius, quàm Nebelongum, quem dicit secundum, aut Eccardi filium, aut Roberti Fortis patrem ex testamento Eccardino contendere. Et tamen nisi ea singulatim omnia luce ipsâ propemodùm clariùs nobis exhibeantur, nihil actum est.

Iterum ajo; nisi luce propemodùm ipsâ clariùs exhibeantur. Utcunq; enim in genealogiarum, præcipuè regiarum controversiis civile sit, probationes etiam non undequaq; consummatas pro plenis amplecti: in hâc tamen nostrâ effecerunt Galli, ut, quod ajunt, ne pede quidem lato arenæ, nisi vi propulsis cedere consultum nobis sit, quòd quas inde nimiùm

ùm protervè nectunt consecutiones, nostram totiusq; Europæ libertatem exitio dare natæ sint. Clarissimas itaq; & solidissimas omniq; exceptione superiores jure nostro demonstrationes postulamus. Dubiæ enim virtutis argumentorum, si alibi exigua, in hoc profectò discrimine nulla omninò habenda est ratio. Illud enim hîc agitur, ut per quietæ octingentorum annorum possessionis convulsionem, & proculcationem, ferali atq; internecino bello, quo universum orbem Christianum implicari & concuti necesse foret, prætextus ac species quæratur.

Quid quòd dato etiam Robertum Fortem Childebrando, hunc Merovæo ortum fuisse, nequidquam tamen id Capetinis ad legendam Merovingiorum hæreditatem profuturum sit? Spurius enim fuit Childebrandus, si modò Pipini filius. Spurii verò nulla in regno Francorum successio, nisi vitio autoritate ac consensu Regis populiq;, & quorum interest sanato. Probè id Pradius ipse monet, quando Caroli Martelli ad summum in regno regioq; imperio pa-

rem Magistratum evecti jus ut in tuto ponat, patris Pipini factum comminiscitur, quo filii natales in vim succedendi erexerit. (b) Addere oportebat, & populos in eum consensisse. Ast ut demus, solis etiam parentibus id juris fuisse: ostendat si potest, ut Martelli, ita & Childebrandi natales, patris autoritate sanatos. Verùm id anno Platonis magno præstiterit, cujus quidquam uspiam, nec fictum, nec pictum, neq; scriptum invenitur. Non est igitur, quod Childebrandi posteris, spurio progenitore satis, quidquam inde rationis necti queat. Eò tamen fortasse recurrent Galli, ut Pipini patris vices à populo repensas jactent, quando Hugo Capetus in regnum assumptus est. Verùm frustra hîc quoq;, si ullibi sunt. Nam factum id Neustriorum fuit. Habeant igitur Neustrii Gallo-Franci, si quidem ipsi ita velint, Hugonem sibi suum, progeniemq; (quod ego quidem aversor, at Pradiana series ita suppeditat) Childebrando spurio satum. Ad Austrasios sanè nihil isti attinent, qui Childebrandum nec noverunt,

nec in posteris suis, ad jus maximè regiæ successionis tribuendum, vel tacitè, vel expressè natalibus unquam restituerunt.

Quid plura? ut etiam evictum pro Capetinis dederint Galli, satos esse Merovingico sangvine virili atq; legitimo: ne vel sic tamen adversùm nos, quod volunt, promovebunt. Nam tùm demum quam ipsi velut iniquis suis & fœdis prætensionibus exitiosam aversantur & horrent, juris gentium præscriptionem, seu mavis, præsumptam derelicti habitionem obvertemus. Ringantur sanè: hanc tamen retinebimus, neq; eripi nobis sinemus, neque unquam pigebit, uno omnium gentium ore hanc quieti orbis statuminandæ tam necessariam anchoram tueri, ne illâ sublatâ omnia inevitabili fato misceri atq; corruere necesse sit. Viderint Galli, quàm novâ isthâc hæresi suâ malorum Lernam sibimet inducturi sint. Qui enim jure inter gentes communiter recepto, ut singularia privilegia, sibi utilia, aliis autem omnibus exitiosa arrogent, contineri nolle,

ore atq; opere profitentur, indeq; illud modò ſanctum habent, quò vis pertingere nequit, cœterà rape, trahe, tene: illi inquam aliis iſtis, quos lædunt, licentiam præbent, eodem in ſe jure abutendi, & quod in feras rapaces, humani generis exitio armatas licitum natura fecit, idem ſibi accerſunt. Taceo ſublato præſcriptionis ſalubri remedio, Gallis ipſis ad Romanum Imperium faciendam eſſe reverſionem; aut ſi etiam tempora Romanis ſuperiora, quod eâdem ratiocinatione conſequitur, reſpicienda: in trecentarum, quas Cæſar in Galliâ reperit, & ſubegit, ſui juris civitatum multitudinem abeundum. Eximium profectò & ſpecioſum turbulentis & in res novandas pronis Gallorum ingeniis prætextum! quo in autores ipſos aut patronos tam perverſæ jurisprudentiæ abutantur, ſi Francicæ antiquæ libertatis memores deſpotismum, quo ab avorum inprimis ætate premuntur, aliquando pertæſi, frenum, ut patres eorum non ſemel fecere, denuò momorderint.

(a) Pe-

(a) *Petrus Puteanus, au Traité des differends entre les Roys de France & d'angleterre. Chap. 2.*

(b) *In discursu prooemiali* 1. *sub Carolo Martello: Il est à croire que Pepin le Hardy considerá avant sa mort, que Charles son bastard estoit seul en aage de defendre sa principauté; & que par cette raison il ordonná, qu'il luy succederoit. Car les Historiens contemporains parlent de l'administration de l'estat, dont Charles se saisit, comme d'un droit, qui luy appartenoit veritablement: parce que la volonté paternelle jointe à la naissance legitime ou illegitime regloit absolument l'ordre de ces sortes de successions &c.*

XVII.

Jura Merovingiorum non esse continuata in Capetinos titulo regni, quod tenent Gallici.

RELiquum nunc est ut inquiramus, an quæ familiæ titulo Capetinis negan-

tur Merovingiorum jura, regni quod tenent nomine compenſentur. Ubi quidem antę omnia ratio ipſa evincit, regnum cujus beneficio tantum decus veniat, ipſum illud eſſe oportere, quod Merovingiorum fuit, hoc eſt, regnum FRANCORUM. Jam verò notiſſimum quidem eſt, nihil Gallis crebriùs in ore eſſe, quàm apud ſe hodieque perſtare, veram illam rei Francicæ & genuinam Majeſtatem, & ad ſe regnum Francorum vetus illud, quod ſub Chlodovæo & Carolo M. ac Ludovico Pio orbem claritate potentiâque ſuâ ſuſpenſum tenuit, haud interruptâ ſucceſſionis ſerie propagatum. Imò hoc axe vertitur, quidquid magnifici ſibi arrogant. Huic inſiſtunt dolo; hanc fraudem ingenti omnium vicinorum injuriâ ampliant, & ſub adſcititia Francorum perſona, jugulis omnium intolerabilem ſarcinam intentant. Aſt ego ſi DEUS ſiverit, faciam Philocrates iſte falſus, hodie verus ut reperiatur Tyndarus. Faciam inquam, qui Francos ſe jactant, Galli ut exeant; hoc eſt, ut cum veris Francis præter nomen glori-

gloriamq; originis aliquam, commune inveniantur habere nihil. Aggredior itaq; lætus causam pulcherrimam & nobilissimam, remq; Europæ omni & orbi Christiano salutarem & necessariam exequar, dum imposturam, si quæ unquam à condito humano genere contexta est immanissimam, & si noxa non est verum dicere, truculentissimam, manifestare suscipio. Quod agere dum jam instituo, religiosissimè profiteor, non animi, non vexæ calumniæve causâ, utve orbi ludos faciam, nec paradoxo concinnando me illuc accedere, sed constitutum esse, quam conscientiâ in examen ritè vocatâ seriò persuasam habeo teneoque veritatem, ex intimâ civili Philosophiâ, historiarumq; fide, quibus solis ex fontibus hæc doctrina haurienda est, adeoq; comite juris & facti sincerâ enucleatione, brevissimis ut institutum jubet, exponere atq; tueri; id solùm in votis habens, ut lectorem, eundemq; arbitrum in hâc causâ omnium gravissima, totiusq; orbis cognitione dignissima, affectu & præoccupatione vacuum nactus sim.

Illud verò præmitti ordo postulat regnum Francorum, quod à Merovingiis in Carolinos transiit, cùm sub Ludovico Pio staret, partes numerâsse integrantes, hinc Germaniam universam, ut tùm erat, ab Albi & à Pannoniæ finibus inter Alpes Oceanumq; Germanicum, in Occidentem latè protensam; illinc Galliam ad Pyrenæos usq; pertingentem, & trans Pyrenæos vicinæ Hispaniæ partes ad Iberum usq; fluvium alicubi productas. His Francia genuina claudebatur finibus. Italia enim cum Slavicis provinciis, & Daciæ Pannoniæq; confiniis extrinsecæ accessioni erant, Imperio Francorum venientes non regno, si utriq; huic voci sua proprietas constet. Res ipsa verò & ratio connata regni Francorum vinculum civile, & spiritus ille formam præstans, personaq; moralis cum regno inseparabiliter veniens, per Germaniam æquè Galliamq; diducta vigebat, ut nec Gallia magis quàm Germania Franciæ tribuenda, neq; huic in Galliam plus juris ac Galliæ in ipsam comparatum esset. Neutri in alteram, sed Francis per

utramq; ſparſis imperium in ambas. Galliæ ſedes, ſolitaq; præſentia regum, at Germaniæ origo populi dominantis, & incunabula, tùm conſervatus generis flos ſincerus, non Gallico ſanguine, quod Neuſtriis contigit, temeratus, non Romano alteratus, dignitatem quidem conciliabant utrinq;, differentiam verò, charaςteri genuino inferebant nullam. Fœdiſſimus igitur illorum eſt error, qui Carolum M. Galliæ ceu Regem Francorum, Germaniæ verò quà Romanum Imperatorem, aut etiam velut regno à Francis diverſo imperâſſe ſomniant.

Illud porrò retuliſſe pretium operæ etiam fuerit, inter provincias regni Francorum eam manſiſſe diverſitatem, quòd aliæ ſpeciali Franciæ nomine venirent, aliæ priſtinâ populorum indigenarum nomenclaturâ cenſerentur. Priores quidem illâ nominis prærogativâ cluebant, quòd victor populus, ſedem in iis ſuam, aut ab origine, ut in Germaniâ Transrhenanâ habuiſſet, aut pomœriis prolatis, quod per Galliam fecit, veteribus incolis, ſive exactis, ſive in ſervitutem

 depreſ-

depressis, sive etiam Francicâ civitate receptis, de novo specialiter collocâsset. Cœteræ provinciæ indigenis legibusque propriis relictæ, subditorum numero manebant, neq; in comitiis, nisi per rectores, eosq; Francos, & à Francis impositos recipiebantur. Prioris generis in Germaniâ quidem Transrhenanâ numerabatur Francia illa primæva & originaria, tractus videlicet à Sueviâ usq; in Westphalos, & à latere Westphalorum secundùm Rheni ripam dextram usq; ad Frisios. Continet ingens ista regio hodiè Palatinatûs inferioris partem Orientalem, nec non Franconiam, Wetteraviam, cum Westerwaldiâ, Hassiam superiorem & inferiorem, Ducatum Montensem, & Cliviæ Geldriæque partes Transrhenanas, tùm quidquid his in oris Westphalia, Frisia & Hollandia non est. In Austrasiâ verò Cisrhenanâ eodem hoc Franciæ nomine censebatur quodcunq; infra Alemannos & Sequanos, inter Rhenum Mosamq; & Arduennam sylvam, usq; ad Oceanum excurrit. In Neustriâ deniq; tractus terrarum iteratò

jam nobis in superioribus memoratus, sylvâ nimirum Arduennâ, Mosâ, nec non Burgundiâ, Ligeri, Britanniâ Aremoricâ, fretoq; Britannico circumfusus. Cœteræ sequioris ordinis provinciæ, quæ peculiari prisco nomine suo quæq; manebant, apud Austrasios habebantur Alemannia, cum Sueviâ, Bavariâ, Thuringiâ, & cum Saxonibus (quos tamen Francicâ civitate donatos, sunt quæ arguant) Frisia. Apud Neustrios Burgundia, Britannia Aremorica, Aquitania & Gothia, quarum singulæ & hinc & inde magnis semper ducatibus, aliquando & regnis materiem præbuere. Nam si quando regnum Francorum in plures laceratum partes pluribus uno Regibus addiceretur; quibus eorum priori ex ordine provincia, pars scil. Franciæ specialiùs dictæ in sortem venerat, Francorum Reges audiebant. Cœteri nomen à provinciis posterioris notæ sortiebantur, unde Reges Bavariæ, Burgundiæ, Provinciæ, Aquitaniæq; interdum surrexerunt.

In hunc se modum habuit extrinseca

regni Francorum facies atq; structura. Et quidem si quâ fuit sub Ludovico Pio integritate, porrò etiam mansisset: parci poterat labori, qui nunc inquirentibus ubi terrarum idem hodiè versetur, exantlandus est. Ast cùm sinistro consilio, tunc ut antea semper, damnosa adhuc vigeret regnum pro numero regiorum filiorum in partes dispescendi ratio: collapsa usq; adeò ejus est Majestas, ut indagandum jam haud perfunctoriâ sit operâ, quònam gentium se receperit; fato tam mirabili atq; insolito, ut ubi reapse est, quod quærimus, regnum Francorum, ibi esse vulgò ignoretur. Ubi verò non est, ibi per usurpatam vafrè à gente alienâ Francorum personam, in ipsius prototypi exitium sæviatur.

Porrò fatalis illa regni divisio perpetrata est post excessum Ludovici Pii à filiis Lothario Ludovico & Carolo Calvo, anno si Vorburgii computum sequimur 844. Causas ejus procatarcticas, bellaq; horrenda, per quæ prælio uno ad Fontenacum agri Altisiodorensis centum hominum millia, & cum iis flos Francicæ nobi-

nobilitatis cecidere huc referre nihil attinet. Illud recitâsse suffecerit, quòd post innumeras calamitates tandem communi partium consensu regni in partes æquales divisio decreta, eademq; judicio ac fidei procerum delectorum concredita sit, quo contigit, ut Lotharius natu maximus cum Imperatoria dignitate Italiam, Ludovicus Bavariam, Calvus Aquitaniam præceptionis in modum tulerint. Inde reliquum regnum ita in partitionem venit, ut Ludovico secundò genito Germania omnis Transrhenana, unàque cis Rhenum urbes Moguntia, Wormatia, Spira, cum pagis, sive comitatibus suis cederent; Carolus natu minimus Galliam, quæ à Rhodano, Arari, Mosa, Scaldique in Occidentem vergit, consequeretur; Lotharius cum suâ sorte ex propriâ optione, cujus facultatem à fratribus tulerat, inter fratres medius esset, eaq; sibi caperet, quæ Alpes, mare Gallicum & Rhodanus, Rhenus cum Arari, Mosâ & Scaldi atq; Oceano ambiunt. (a) Contigit eâ divisione, quod nullâ ex anterioribus, ut in cor-

pus unum posthac regnum Francorum (nisi momentaneâ ferè coitione semel omninò sub Carolo Crasso) nunquam reversum sit. Unde cùm indolem ejus ad argumentum hoc nostrum unicè facientis pressè investigari res postulet: non opinor infìceti quem forte hominem ingenii eò processurum, ut hanc ipsam divisionem, vetustâ Francorum consuetudine, totque majorum exemplis, totius etiam populi, omniumq; causæ immixtorum consensu nixam, deniq; octo seculorum lapsu roboratam, ad Gallorum modernas commentitias regni leges, de absolutâ domanii coronæ Francicæ indivisibilitate, & inalienablitate, ut sic loqui liceat, metiendo, nullitatis postulet. Qualem sanè trabalem ineptiam (quâ tamen etiam datâ Galli frustrà sibi quidquam compendii pollicerentur) prudens quisq; non rationibus, sed sibilo & explosione repellendum unà mecum ducet.

Summa verò totius investigationis huc redit, ut exeat, cuinam ex regnis istis tribus, quorum singula Francorum nomen-

menclaturâ publicè privatimque censebantur, res ipsa & genuina regni pristini ratio obtigerit? Res inquam ipsa. Nec enim nomen moramur, quod singulis obvenisse, modo tamen haud uno agnoscimus. Cuiq; enim dividentium pars Franciæ specialiùs dictæ, ac modò à nobis descriptæ obvenerat, quiq; hanc habitabant populi, aut origine majoribusque, aut certè adoptione, deindè verò legibus, moribus ac studiis Franci erant. Sed & regna ipsa communes inter se publicæ salutis rationes retinuerant, paulò antè ejusdem corporis membra; reditura quoq; eòdem, mox ut Regum aliqui sine 'posteris maribus vivis exempti reversioni locum fecissent. Deniq́ue & isto nomine Francica erant, quòd inter ea, quantumcunq; distracta, ex intentione tamen dividentium arctum perpetuumq;, ac propè connaturale, & mutuæ defensionis contra hostes quosvis, & mutui consilii in rebus dubiis fœdus esset. Quo factum est, ut & Lotharius & Ludovicus, qui Germanicus posteà dictus est, & Carolus Calvus Franciæ Franco-

Francorumq; Reges promiſcuè audirent, hâc quidem diſtinctione, ut quemadmodum Ludovicus Orientalium, Carolus Occidentalium ipſo ſitu monente, ita Lotharius cum ſucceſſoribus Mediorum aliquando, crebriùs verò (quod etiam poſteà ſolum obtinuit) ducto per primi poſſeſſoris nomen cognomine, Lotharianorum, aut per Germanismum Lotharingiorum Francorum Rex diceretur.

At iſta nimirum nominis Francici in ſingulis regnorum continuati ratio fuit. Res verò ipſa regni interior longè hinc diverſùm ſe habuit. Nam ut perindè quàm nomine, tam re atq; intrinſecâ ratione unumquodque eorum priſtinum Francorum regnum porrò eſſet, ab ipſâ rerum omnium naturâ alienum erat. Quàm enim ſingulis hominibus ſua phyſica, ita ſingulis regnis quædam moralis eſt perſona, quâ quodq; hoc eſt regnum, & non aliud; indiviſibilis illa quoq;, & quousq; vinculum ſociale civile, ſummo imperio ſuo ſtipatum, anima videlicet civitatum, nullâ diſſolutione corruptum continuatur, etiam inſeparabilis. Ubi

verò quodquam divisione initâ in plura regna dilapsum est: non patitur natura, animam personamq; isthanc moralem in singula unà dividi, eâ quidem ratione, ut quodq; è divisione exeuntium, idem illud sit, quod paulò antè unum numero ac solum claruerat. Quàm enim omnem mentis humanæ conceptum excedit, esse in rebus creatis eodem quidem respectu, quidquam numero simul unum, & simul plura: tam & repugnat civitatem unam in plures veras civitates divisione scissam, in singulis suis, paulò antè partibus, nunc corporibus completis, ac per se stantibus, eandem numero manere, quæ priùs fuerat. Et hoc quidem à nemine sano controvertitur. Ast quod hinc recto consequentiæ progressu inferimus, illud est: divisione quam enarravimus Monarchiæ Francorum ex tribus quæ prodiere regnis, utut nomine Francorum inter se convenientibus, re tamen ipsâ, rationeq; intrinsecâ dissimillimis personam illam moralem veteris Francorum regni cum charactere ejus genuino, non nisi in uno solo perdurâsse. Non

abnuo

abnuo ab omnibus abfuturam fuiſſe, ſi mens Regum populorumq; dividentium ea fuiſſet, ut priſtino regno, ex rerum ordine penitus expuncto, regna merè nova exurgerent. At hoc voluiſſe quis credat? Quis avitæ tam prodigos dignitatis, quis majorum ſuorum ita malignè reverentes, quis poſterorum tam incurios reputet, ut quod à patribus induſtriæ virtutiq; ſuæ concreditum, filiisque reddendum tulerant regnum, tam auguſtum, tam inclytum, id ſcil. unàque cum eo tot eximias antiquitatis prærogativas ultro projicerent, projiciendo proderent, ſubrogatis perperam regnis aliis, nullo ætatis honore, eminentiâ, autoritate munitis? Non eſt igitur hoc ferendum, nec ſi eſſet, Gallis hodiè compendio foret. Nec enim quod tum inferres aliud ſuperforet, quàm periiſſe dudum, jamq; ab octo ampliùs ſeculis tanti nominis rem, fruſtraq; adeò non in Galliâ minùs, quàm in Germaniâ vetus genuinumq; Francorum regnum hodie requiri, alterive in alterum juris inde aliquid accerſiri. Quo ipſo Galli-

carum

tarum prætenſionum vis omnis eliſa, resq; deplorata foret, non minùs ac ſi per impoſſibile in ſingulis regnorum priſtinus character perſtitiſſet; quod tùm quoq; in pari rurſum cauſa verſantibus, alterius in alterum prætenſionibus titulo regni Francorum texendis, præcluſa ratio eſſet.

Ratum manet: magnâ illâ poſt Ludovicum Pium diviſione regni Francorum initâ, rationem ejus intrinſecam & formalem genuinam in uno ſolo ex tribus regnis mox prodeuntibus, conſervatam continuatamq; fuiſſe. At quodnam eorum tantum ſibi decus peculiare fecerit, haud perinde obvium, & nunc indagandum eſt. Quod quidem aliquantùm operoſius videri poſſit, quòd diſerti de eo ad nos, præſertim à calce hiſtoriæ Nithardianæ, unde ſperari lucis fortaſſe aliquid poterat, aut ſanè debebat, deſtitutos, nihil perlatum videatur. Veruntamen attentiùs inquirentem, ne in iſta quidem monumentorum penuria quod actum eſt, fallere diu poteſt, modò quæ rem, ut acta fuit, circumſtitere, pruden-

ter

quod [illegible] Quod enim aliud
adhuc [illegible]
injuri [illegible] in sortem
conti [illegible]
firma [illegible] fuissent.
Franc [illegible] fit, & he-
bus [illegible] res fuerit:
huic [illegible] quod
elige [illegible] maximè
conic [illegible] indicia
mum [illegible] con-
petin [illegible] Quæ
apud [illegible] successionis
succe [illegible] potest,
stitue [illegible] gradu,
tiæ cu [illegible] indivisibilis
tati r [illegible] quem
nere [illegible] Notior
ralitat [illegible] quàm
ut si c [illegible] pro
gente [illegible] lite
adver [illegible] in
ùt co [illegible] for-
non r [illegible]
rint, [illegible] popu-
eos c [illegible] alia
[illegible]

omnia silerent, rem confectam dare idonea foret. At nec silent tamen alia, quæ idem evincant. Loquitur id ante omnia patris judicium, quo Lotharius pridem antè, & quidem cum imperio in fratres Pipinum ac Ludovicum (qui Aquitaniæ Bavariæq; in Reges destinabantur) omnium Francorum Monarcha futurus (b) fide etiam in istud à regni ordinibus in Neomagensi publico conventu juratò acceptâ, fuerat renuntiatus. Quæ tametsi posteà à patre senio ac novercalibus stimulis agitato ac fluctuante, circa regni integritatem & imperium in fratres, identidem mutationem tulerint: (c) honorem tamen primogenituræ, qui præcipuè in continuatione characteris aviti versabatur, detractum fuisse nec oculatissimus invenerit, ne per dissidia quidem illa, patrem inter filiumq; agitata. Nam quæ ab irato patre filio, nec immeritò aliquando adempta: eadem omnia præter territorii atq; imperii, quam diximus integritatem, reconciliatio secuta restituit. Idem verò perhibet optio regni (d) quodcunq; ex tribus eâ divisione

regni Francorum facies atq; ſtructura. Et quidem ſi quâ fuit ſub Ludovico Pio integritate, porrò etiam manſiſſet: parci poterat labori, qui nunc inquirentibus ubi terrarum idem hodiè verſetur, exantlandus eſt. Aſt cùm ſiniſtro conſilio, tunc ut antea ſemper, damnoſa adhuc vigeret regnum pro numero regiorum filiorum in partes diſpeſcendi ratio: collapſa usq; adeò ejus eſt Majeſtas, ut indagandum jam haud perfunctoriâ ſit operâ, quònam gentium ſe receperit; fato tam mirabili atq; inſolito, ut ubi reapſe eſt, quod quærimus, regnum Francorum, ibi eſſe vulgò ignoretur. Ubi verò non eſt, ibi per uſurpatam vafrè à gente alienâ Francorum perſonam, in ipſius prototypi exitium ſæviatur.

Porrò fatalis illa regni diviſio perpetrata eſt poſt exceſſum Ludovici Pii à filiis Lothario Ludovico & Carolo Calvo, anno ſi Vorburgii computum ſequimur 844. Cauſas ejus procatarcticas, bellaq; horrenda, per quæ prælio uno ad Fontenacum agri Altiſiodorenſis centum hominum millia, & cum iis flos Francicæ nobi-

nobilitatis cecidere huc referre nihil attinet. Illud recitâsse suffecerit, quòd post innumeras calamitates tandem communi partium consensu regni in partes æquales divisio decreta, eademq; judicio ac fidei procerum delectorum concredita sit, quo contigit, ut Lotharius natu maximus cum Imperatoria dignitate Italiam, Ludovicus Bavariam, Calvus Aquitaniam præceptionis in modum tulerint. Inde reliquum regnum ita in partitionem venit, ut Ludovico secundò genito Germania omnis Transrhenana, unàque cis Rhenum urbes Moguntia, Wormatia, Spira, cum pagis, sive comitatibus suis cederent; Carolus natu minimus Galliam, quæ à Rhodano, Arari, Mosa, Scaldique in Occidentem vergit, consequeretur; Lotharius cum suâ sorte ex propriâ optione, cujus facultatem à fratribus tulerat, inter fratres medius esset, eaq; sibi caperet, quæ Alpes, mare Gallicum & Rhodanus, Rhenus cum Arari, Mosâ & Scaldi atq; Oceano ambiunt. (a) Contigit eâ divisione, quod nullâ ex anterioribus, ut in corpus

pus unum posthac regnum Francorum (nisi momentaneâ ferè coitione semel omninò sub Carolo Crasso) nunquam reversum sit. Unde cùm indolem ejus ad argumentum hoc nostrum unicè facientis presse investigari res postulet: non opinor inficeti quem forte hominem ingenii eò processurum, ut hanc ipsam divisionem, vetustâ Francorum consuetudine, totque majorum exemplis, totius etiam populi, omniumq; causæ immixtorum consensu nixam, deniq; octo seculorum lapsu roboratam, ad Gallorum modernas commentitias regni leges, de absolutâ domanii coronæ Francicæ indivisibilitate, & inalienablitate, ut sic loqui liceat, metiendo, nullitatis postulet. Qualem sanè trabalem ineptiam (quâ tamen etiam datâ Galli frustrà sibi quidquam compendii pollicerentur) prudens quisq; non rationibus, sed sibilo & explosione repellendum unà mecum ducet.

Summa verò totius investigationis huc redit, ut exeat, cuinam ex regnis istis tribus, quorum singula Francorum nomen-

menclaturâ publicè privatimque censebantur, res ipsa & genuina regni pristini ratio obtigerit? Res inquam ipsa. Nec enim nomen moramur, quod singulis obvenisse, modo tamen haud uno agnoscimus. Cuiq; enim dividentium pars Franciæ specialiùs dictæ, ac modò à nobis descriptæ obvenerat, quiq; hanc habitabant populi, aut origine majoribusque, aut certè adoptione, deindè verò legibus, moribus ac studiis Franci erant. Sed & regna ipsa communes inter se publicæ salutis rationes retinuerant, paulò antè ejusdem corporis membra; reditura quoq; eòdem, mox ut Regum aliqui sine posteris maribus vivis exempti reversioni locum fecissent. Deniquè & isto nomine Francica erant, quòd inter ea, quantumcunq; distracta, ex intentione tamen dividentium arctum perpetuumq;, ac propè connaturale, & mutuæ defensionis contra hostes quosvis, & mutui consilii in rebus dubiis fœdus esset. Quo factum est, ut & Lotharius & Ludovicus, qui Germanicus posteà dictus est, & Carolus Calvus Franciæ

Franco-

Francorumq; Reges promiſcuè audirent, hâc quidem diſtinctione, ut quemadmodum Ludovicus Orientalium, Carolus Occidentalium ipſo ſitu monente, ita Lotharius cum ſucceſſoribus Mediorum aliquando, crebriùs verò (quod etiam poſteà ſolum obtinuit) ducto per primi poſſeſſoris nomen cognomine, Lotharianorum, aut per Germanismum Lotharingiorum Francorum Rex diceretur.

At iſta nimirum nominis Francici in ſingulis regnorum continuati ratio fuit. Res verò ipſa regni interior longè hinc diversùm ſe habuit. Nam ut perindè quàm nomine, tam re atq; intrinſecâ ratione unumquodque eorum priſtinum Francorum regnum porrò eſſet, ab ipsâ rerum omnium naturâ alienum erat. Quàm enim ſingulis hominibus ſua phyſica, ita ſingulis regnis quædam moralis eſt perſona, quâ quodq; hoc eſt regnum, & non aliud; indiviſibilis illa quoq;, & quousq; vinculum ſociale civile, ſummo imperio ſuo ſtipatum, anima videlicet civitatum, nullâ diſſolutione corruptum continuatur, etiam inſeparabilis. Ubi verò

verò quodquam divisione initâ in plura regna dilapsum est: non patitur natura, animam personamq; isthanc moralem in singula unà dividi, eâ quidem ratione, ut quodq; è divisione exeuntium, idem illud sit, quod paulò antè unum numero ac solum claruerat. Quàm enim omnem mentis humanæ conceptum excedit, esse in rebus creatis eodem quidem respectu, quidquam numero simul unum, & simul plura: tam & repugnat civitatem unam in plures veras civitates divisione scissam, in singulis suis, paulò antè partibus, nunc corporibus completis, ac per se stantibus, eandem numero manere, quæ priùs fuerat. Et hoc quidem à nemine sano controvertitur. Ast quod hinc recto consequentiæ progressu inferimus, illud est: divisione quam enarravimus Monarchiæ Francorum ex tribus quæ prodiere regnis, utut nomine Francorum inter se convenientibus, re tamen ipsâ, rationeq; intrinsecâ dissimillimis personam illam moralem veteris Francorum regni cum charactere ejus genuino, non nisi in uno solo perdurâsse. Non abnuo

abnuo ab omnibus abfuturam fuiſſe, ſi mens Regum populorumq; dividentium ea fuiſſet, ut priſtino regno, ex rerum ordine penitus expuncto, regna merè nova exurgerent. At hoc voluiſſe quis credat? Quis avitæ tam prodigos dignitatis, quis majorum ſuorum ita malignè reverentes, quis poſterorum tam incurios reputet, ut quod à patribus induſtriæ virtutiq; ſuæ concreditum, filiisque reddendum tulerant regnum, tam auguſtum, tam inclytum, id ſcil. unàque cum eo tot eximias antiquitatis prærogativas ultro projicerent, projiciendo proderent, ſubrogatis perperam regnis aliis, nullo ætatis honore, eminentiâ, autoritate munitis? Non eſt igitur hoc ferendum, nec ſi eſſet, Gallis hodiè compendio foret. Nec enim quod tum inferres aliud ſuperforet, quàm periiſſe dudum, jamq; ab octo ampliùs ſeculis tanti nominis rem, fruſtraq; adeò non in Galliâ minùs, quàm in Germaniâ vetus genuinumq; Francorum regnum hodie requiri, alterive in alterum juris inde aliquid accerſiri. Quo ipſo Galli-

carum

carum prætenſionum vis omnis eliſa, resq; deplorata foret, non minùs ac ſi per impoſſibile in ſingulis regnorum priſtinus character perſtitiſſet; quod tùm quoq; in pari rurſum cauſa verſantibus, alterius in alterum prætenſionibus titulo regni Francorum texendis, præcluſa ratio eſſet.

Ratum manet: magnâ illâ poſt Ludovicum Pium diviſione regni Francorum initâ, rationem ejus intrinſecam & formalem genuinam in uno ſolo ex tribus regnis mox prodeuntibus, conſervatam continuatamq; fuiſſe. At quodnam eorum tantum ſibi decus peculiare fecerit, haud perinde obvium, & nunc indagandum eſt. Quod quidem aliquantùm operoſius videri poſſit, quòd diſerti de eo ad nos, præſertim à calce hiſtoriæ Nithardianæ, unde ſperari lucis fortaſſe aliquid poterat, aut ſanè debebat, deſtitutos, nihil perlatum videatur. Veruntamen attentiùs inquirentem, ne in iſta quidem monumentorum penuria quod actum eſt, fallere diu poteſt, modò quæ rem, ut acta fuit, circumſtitere, pruden-

ter

ter ponderantem. Quòd si enim aliquid à simplici naturæ ductu diversum fratres dividentes, & qui fratribus in sortem veniebant populi, in eâ causâ statuere voluissent: disertim utique statuissent. Nunc cùm ejus nihil præstò sit, & hominibus tamen inter homines res fuerit: hoc ipso tenendum est, id egisse, quod rationi, quod naturali æquitati maximè consentaneum est, quodque alia indicia numero non pauca, nec pondere contemnenda actum fuisse persuadent Quæ verò naturæ vox, quæ ratio successionis è moribus populorum clarior esse potest, quàm inter pares natalibus, sexu, gradu, avitæ palmam dignitatis, si indivisibilis sit, in illum devolvi, quem ætas, quem per ætatem natura ipsa prætulit? Notior est primogenituræ vis & honos, quàm ut præcone egeat. Ea verò cùm pro Lothario tota steterit: quis in hâc lite calculum suspendat suum, dubitetve in eodem illo Lothario, & quod ei in sortem venerat regno, pristini Majestatem rationemq; Francorum regni esse propagatam? Sola isthæc ætatis ratio, ubi alia omnia

omnia silerent, rem confectam dare idonea foret. At nec silent tamen alia, quæ idem evincant. Loquitur id ante omnia patris judicium, quo Lotharius pridem antè, & quidem cum imperio in fratres Pipinum ac Ludovicum (qui Aquitaniæ Bavariæq; in Reges destinabantur) omnium Francorum Monarcha futurus (b) fide etiam in istud à regni ordinibus in Neomagensi publico conventu juratò acceptâ, fuerat renuntiatus. Quæ tametsi posteà à patre senio ac novercalibus stimulis agitato ac fluctuante, circa regni integritatem & imperium in fratres, identidem mutationem tulerint: (c) honorem tamen primogenituræ, qui præcipuè in continuatione characteris aviti versabatur, detractum fuisse nec oculatissimus invenerit, ne per dissidia quidem illa, patrem inter filiumq; agitata. Nam quæ ab irato patre filio, nec immeritò aliquando adempta: eadem omnia præter territorii atq; imperii, quam diximus integritatem, reconciliatio secuta restituit. Idem verò perhibet optio regni (d) quodcunq; ex tribus eâ divisione

surgentibus retineri visum esset, non à patre modò priore partitione, sed & à fratribus in Lotharium, & quidem jam hostem, jam victum, jam propè supplicem collata, quæ honorem primogenituræ suum mansisse altùm clamat. Et credat quisquam Lotharium, qui etiam imperium in fratres præsumpserat, animi plus nimio ambitiosi principem, usque adeò vecordiâ lapsum, ut regni Francorum genuini copiâ sibi factâ, id quod tenuit delecturus fuisset, nisi cum eodem illud ipsum avitum Franciæ genuinæ decus sibi mansurum probè pernovisset? Jam patris Ludovici Pii novissima cura, quâ morti admotus, sceptrum atq; coronam cœteraq; cimelia regia, avitæ dignitatis pignora, Lothario eidem transmisit, id ipsum etiam indicat. (e) Quid quòd etiam sedes regni Francorum & archisolium, ut vocant, Aquisgranum, non modicùm huc conferat, quam cum sorte suâ Lotharius tulit? (f) At ne scriptorum autoritate disertim prodentium, quòd Lothario genuinum Francorum regnum patris beneficio obvenerit, omni-

nò

nò destituti mutis tantùm indiciis, & ratiocinando demum vim sortientibus niteremur; salubriter providerunt Annales Francorum Fuldenses, qui ad ann. 839. verbis nequaquam ambiguis ajunt: *Post Pascha mense Majo Wormatiam veniens* (Ludovicus Pius Imperator) *HLUtario filio suo de Italià in fidem ejus venienti, reconciliatur, regnumque* FRANCORUM *inter eum & Carolum filium suum minimum dividit. HLUtario quidem, qui* MAJOR NATU *erat* NOMINIS SUI DIGNITATEM *&* SEDEM REGNI *tribuens.* Magnopere velim animum probè huc advertat suum, cuicunque est curæ (quam Galli hodiè fecerunt, ut sanè supervacanea ne esset) quorsum per illam divisionem ratio regni Francorum genuina contracta sit. Hoc enim textu docemur ipsum verum Francorum regnum inter filios Lotharium & Carolum dividere, Ludovico Pio propositum fuisse. *Nominis* igitur *paterni dignitatem*, quæ unà cum regni parte in Lotharium transscripta fuit, aliam esse repugnabat, quàm regiam Francorum illam,

 de

de quâ agimus verám Majeſtatem. Sed & ratio additur: quòd *major natu*, eſſet Lotharius, quo primogenituræ jus quod initio in hanc ſententiam allegavimus, eximiè ſtabilitur. Imò ut ne dubium eſſet, verum Francorum, non Imperii Romani, quo unà cum Romanâ urbe & Italia Lotharius pridem potitus atq; gaviſus erat, axioma per nominis dignitatem hîc notari: acceſſit in ſingulare indicium ſedes regni Aquisgranum, Francorum utiq; illo ævo, non Romanorum metropolis. Cui diviſioni immortuus tempore haud multo exacto Ludovicus Pius, Lotharium non minùs in Franciâ illâ verâ & genuinâ, quàm in Romano Imperio ſortitus eſt ſucceſſorem, cujus avitæ dignitatis præeminentiam ei nec bella ſubſecuta, neq; transactio eripuere. Bella enim vertebant non circa regium genuinum Francorum characterem, ſed quòd Ludovicus Lotharii frater ætate proximus, Bavariâ ſuâ malignè contentus, Germaniam omnem Transrhenanam, Lothario paulò antè attributam, ſibi aſſereret, quòdq; Carolus Cal-

vus

vus Aquitaniam liberis Pipini Regis ante patrem Ludovicum Pium defuncti, hujus quidem voluntate præripuisset; deniq; quòd Lotharius in fratres imperium ambiret. Ast insecutâ dein transactione regnum quidem universum, & quidquid Ludovici Pii terrarum fuerat, in partes tres æquales sectum, singulis etiam regnorum autocratiam suam assertam fuisse, docemur: honori autem paterni nominis avitæq; dignitatis & genuino Regis Francorum characteri, quem Lotharius à patris obitu nequaquam controversum tulerat, vim factam, eivo quidquam per ea omnia vel in minimo detractum esse nullibi invenire est.

Quid verò ad isthæc omnia Pradius? Quòd si horum quidpiam pro Carolo Calvo adversùm nos jactari sustineret, quantis non vocibus suo gentiliumq; suorum more detonaret? tam diserta ac potens est veritas cum Gallis favet. Ast contrà si faciat: serva esse, & nec hiscere jubetur; quin etiam in ipsâ luce caliginem ei offundere, Gallis pro lusu est. Veruntamen frustrà hîc fuerint. Quid enim

enim Carolus iste fratrum ut natu, sic vel Maimburgio teste (g) etiam pretio minimus, & quod Adelmus ac Nithardus testantur (h) Lothario ceu primogenito fratri reverentiam exhibere à patre jussus, adversùs eum promovebit? An fortè Franciæ nomen Galliæ soli mansisse, per mendacium quisquam adstruat? Ast mille testimoniis contrà stantibus configetur. An Francos unà omnes in Galliam migrâsse, porrò fabulator aliquis objiciet, nec proinde characterem regni genuinum in aliam regni plagam deflectere potuisse? Ast ut suppositum daremus, quod falsissimum est, non tamen consequeretur, in Occidentali mage Galliâ, quàm in eâ, quæ ad Rhenum vergit, & Lotharii mansit consedisse. An Calvi sortem copiâ virium prævaluisse cœteris quisquam causabitur? At ignorare nemo potest, quod scriptores dilucidè tradunt, à delectis regno ercíscundo arbitris, id præcipuè curatum, à limine etiam conventionis provisum fuisse, (i) ut divisio in partes, quàm posset, exactissimè æquales fieret. An Lutetiam prætexent,

Chlo-

Chlodovæi præcipuam ſedem? At huic primatûs culmen, Carolo M. annitente, jam pridem detraxerat Aquisgranum. Gerræ mihi crede ſunt meræ & affaniæ, ea omnia, quæ adverſùs vocem veritatis tam altam, tamq; diſertam moliri pertendent Galli, non alii futura uſui, quàm ut gerronum pervicaciam tantò evidentiùs in luce collocent. Nemini prudenti certè quidquid magnifici clamoris, quidquid vaniloquentiæ hîc afferant, pluris erit, quàm vitioſa nux.

Conſtans igitur eſt, rem Francorum genuinam, ex tripartita diviſione anni 844. non aliis quàm Francis Lotharienſibus peculiarem factam. Aſt cœtera duo, Germaniæ putà, Galliæq; Occidentalis regna præter nomen nudum & quandam originis gloriam, à Francis tuliſſe nihil, ſed in regna nova, regna iſti primùm diviſioni ſe debentia, tum demum ſurrexiſſe. Quorſum verò à Lotharingis eadem illa vera Francici regni ratio deinde conceſſerit, ut cognoſcamus, & ſimplicior dehinc erit decurſus, & rem quàm potero maximè compendifaciam.

Quàm enim simplex & plana, & per se nota est hæc thesis: *Quocunque regnum abiit Lotharianum, eò unà migravit & regnum Francorum genuinum:* tam quoque cuivis historiarum cognitione vel mediocriter tincto, & notum, & planum, & certissimum non esse non potest, regnum illud idem Franco-Lotharianum succedentibus annis haud adeò multis, cum regno Francorum Orientali, quod Ludovici Germanici sortem fuisse vidimus, coalitione intimâ, absolutâ atque plenissimâ, verbo, unione civili fuisse conjunctum. Etenim Lotharii sors omnis ab obitu ejus, factâ inter liberos subdivisione in tres primùm partes ita dilapsa est, ut Ludovico ejus nominis secundo, natu maximo Romanum Imperium atq; Italia cum Episcopatibus Inalpinis, Genevensi, Losannensi & Sedunensi, Lothario juniori ætate proximo, Francia illa vera Lothariana inter Rhenum, Mosam, Scaldim atq; Oceanum, minimo autem filiorum Carolo, Gallia inter Alpes, Ararim, Rhodanum, & mare mediterraneum cederet. Deinde autem

tem Carolo vivis exempto, regnoque ejus inter fratres superstites subdiviso, Lotharii Cæsaris universa sors, in duas tantùm partes contracta est; Provinciâ Italiæ & Ludovico Imperatori, Delphinatu verò cum tractu Lugdunensi Burgundiæq; comitatu, Lotharingis Lotharioq; minori accedentibus. Sed cùm etiam Lotharius iste minor seculi noni anno nono & sexagesimo diem clausisset extremum: Carolus Calvus Galliæ Occidentalis Rex, Lotharingiam, cui pridem subdolè inhiaverat, ruptis naturæ & sanguinis, ruptis etiam conventionum fideique datæ vinculis, legibusq;, quæ Ludovicum Imperatorem successorem nuncupabant, invadit, tollitq; penè omnem, sed mox cum Ludovico Germanico, armis id extorquente pro partibus æquis dividendam. Et huic quidem istâ pactione provinciæ Rhenum spectantes, cœteræ in Occidentem ad Mosam Scaldimq; Calvo obtigerunt. Quam divisionem in fraudem legitimi successoris perpetratam, tùm quidem infirmam & vitiosam fuisse, obitu tamen Ludovici

Cæsaris anno 875. convaluisse censendum est. Hanc conventionem cùm Calvus (per ambitum & largitiones fœdas, & proditionem jurium regno Francorum familiæq; suæ venientium, jam Imperator) ab obitu Germanici denuò temerâsset: Ludovicus Francicus Germanici filius, exiguâ manu ad Andernacum fœdè multatum in Galliam vestigia relegere præcipitem coëgit, qui ipse etiam Ludovicus Francicus anno 879. Occidentalem tandem Lotharingiæ partem, quæ ex consensu Germaniæ Regum apud Calvi successorem Ludovicum Balbum, ad momentum ferè manserat, ab hujus filiis Galliæ Regibus Ludovico & Carolomanno jure perpetuo tenendam consecutus est. Primus igitur Ludovicus iste noster è Regibus Germanorum Franciâ Lotharianâ universâ potitus, quam & ipse & successores Germaniæ, seu Franciæ Orientalis Reges, iidemq; plerumq; Imperatores, adversùs omnes Gallorum insultûs, ingentibus animis, & animos secundante fortunâ, annis plùs minùs centum quinquaginta strenuè tutati sunt,

quo-

quousque inito inter Henricum S. Cæsarem, & Robertum Pium Galliæ Regem pacto, anno 1023. in colloquio ad Carum fluvium (is Luxenburgensis ditionis est) controversiâ ex imo sublatâ, possessio Lotharingiæ Germanis dehinc inconcussa mansit, novis etiam inter Germaniam Galliamq; pactis amicitiæ identidem initis confirmata, donec eam Cassano principe hoc demum seculo, forensium aliquot declamatorum contemptissima cohors, cui novo exemplo Pradius etiam nomen nunc dedit, allatrare ausa est.

In quo igitur hujus controversiæ nobilissimæ cardo vertitur, istâ regni Lotharingici cum Germanico conjunctione, juriumq; omnium intrinsecâ & perfectissimâ communione, illud effectum est, ut regnum utrumq; in corpus unum politicum, uno vinculo sociali connexum, uno charactere civili genuino insigne, unâ solâ personâ morali consummatum transiret. Et manente quidem regno Lothariano, utpote nobiliore, vereque Francico (cujus indicium inter multa

esse etiam potest, coronatio & unctio Regum Orientalium, non intra limites Germaniæ transrhenanæ, sed Lothariano in solo, Aquisgrani veteri instituto peragenda) Germanicum regnum in ejus rem atq; personam moralem omnimodè adeoq; indissolubiliter & perfectè transivit, ut character ille Francorum genuinus, beneficio regni Lothariani Germaniæ universæ communis factus, atq; illatus, exinde in hunc usque diem glebæ non Lotharingicæ magis, quàm Germanicæ inhæserit. Atq; ita rem se habere præter alia illud etiam argumento est, quòd ordines utriusq; regni comitia universalia posthac separatim nulla, sed eadem utrisq; communia semper obierint, quòdq; regno utriq; capessendo inauguratio non nisi una adhibita sit. Eâ igitur rerum conversione illud contigit, ut quod aliquot antè seculis Francici honoris culmen Germania transitu Francorum indigenarum suorum Galliæ commune secum fecerat: hoc ipsum per tot rerum vicissitudines regniq; divisiones, Germaniæ aliquando præreptum, Gallia eadem velut

velut in redhoſtimentum accepti beneficii iſtâ unione poſtlimiuio redhiberet.

Simpliciſſimâ iſthâc planæq; veritati examuſſim congruâ narratione, indeque tracto conſequentiæ nexu confiſus, poſſem jam hoc caput omninò dimittere, neq; adeò lectoris judicio diffidere, ut pluribus opus argumentis ducerem, quò cauſæ tam liquidæ, tamq; perſpicuo jure, & æquitatis tam dilucidâ ratione nitenti calculum ejus prolicerem. Exempla tamen & teſtimonia requirentibus, quæ Regum populorumq; rei quæ agebatur, potiſſimè immixtorum, tum etiam ſequentis è propinquo ætatis, eandem nobiſcum fuiſſe ſententiam, comprobant, ex magnâ copiâ, ne moleſtior ſim, & ne hoc opus cœterà conciſum, mole unius membri inconcinnâ difforme exeat, non niſi pauca dabo. Quem verò potiùs huc, & quem illuſtriorem mihi teſtem velim, quàm qui poſt paulò, quàm ea copula inter utrumq; regnum contracta eſſet, totius Monarchiæ Francicæ ad triennium, aut ſi quid excurrat, obtinuit apicem, & Galliam, non tutorio aut pro-

curatorio nomine, aut precariò, quod aliqui voluere, ſed vel Gallorum conſeſſione, regio jure non minùs, quàm Lotharingiam Germaniamq; tenuit, Carolum Craſſum? Illum nemo arguet opes ſuas ignorâſſe, aut quæ regna imperio ſuo contineret. Audiamus porrò, quis ei de ſe, quis de Germaniâ ſuâ, Lotharingiæ jam ſub fratre Ludovico Francico unita, quis de regno, quod Carolo Calvo obvenerat, ſenſus fuerit. Recitât magni nominis autor, qui monumenta Paderbornenſia condidit, (k) diploma Caroli hujus Heriſienſi Parthenoni datum in hæc verba deſinens: *Amalbertus Cancellarius ad vicem Liutberti Archipellani recognovi &c. Data XI. Kalend. Octob. anno Domini incarnationis* DCCCLXXXVII. *Indict V. anno verò regni Domini Karoli, Sereniſſimi Imperatoris Auguſti in Italiâ VII. in Franciâ V. in Galliâ III. Actum ad Juſtiniawa Curte regali, in Chriſti nomine feliciter Amen.* Nihil hoc teſtimonio, cui ejusdem Imperatoris haud dubiè plura concinunt, diſertius, nihil luculentius. Docet

cet inprimis Lotharingiæ Germaniæque regna in unum Francorum regnum consolidata, utpote uno ſolo Franciæ nomine jam tum venientia. Deinde hoc regnum Lotharingio-Germanicum ipſum genuinum Francorum regnum fuiſſe, quàm non iſta Franciæ Galliæq; ab Imperatore utriusque Rege facta diſtinctio evincit? Galliam ne nomine quidem nudo Franciæ dignatus eſt, quo tamen ex uſu recepto per æquivocationem citra alienam injuriam dignari poterat. Quid enim volenti facilius fuiſſet, quàm annos ita regiminis computare: *In Franciâ Orientali anno V. in Occidentali anno* III? An ſi Galliæ Occidentali res Francica verè inerat, ſuſtinuiſſet Rex ejus regnum ſuum usq; adeò inclementer habere, ut honoris eminentiæq; debitis ſignis ei detractis, etiam velut ſub oculis ejus alienum exornaret? At enim ſciebat quid Germaniæ, quid Galliæ deberet, idque eo pacto apertè diſtinctum volebat. Quàm rectè igitur, & quàm ex officio hiſtoriæ accuratioris Annâles Fuldenſes, jam inde ab obitu Ludovici Pii, usq; ad finem

finem operis, regnum Occidentale, Gallorum Galliæq; nomine venire perpetuò jubent, Franciæq; veræ, Germanorum putà regno, exactè & constanter contradistinguunt? Porrò quis Crassi in Lotharingia Germaniaq; successor proximus, & ex fratre nepos Arnolfus Cæsar habitus fuerit, & qualis de regno, quod tenebat sensus: testetur scriptor exterus, fide hoc uberiore, quòd etiam coævus fuerit, nec factionibus immixtus. Is Asser Menevensis est Anglus, qui in vitâ Alfredi Regis hæc ait: *Eodem anno Carlus* (Crassum vult) *Francorum Rex viam universitatis adiit. Sed Earnulf filius fratris sui sextà antequam defunctus esset hebdomadà illum regno expulerat. Quo statim defuncto, quinq; Reges ordinati sunt*, (intelligit præter Arnolfum videl. nostrum Francorum Regem, Berengarium Italiæ, Bosonem Provinciæ, Conradum Burgundiæ Transjuranæ, & Eudonem Galliæ Occidentalis invasores) *& Regnum in quinq; partibus conscissum est. Sed tamen* PRINCIPALIS SEDES REGNI AD EARNULPH *jure & meritò*

ritò pervenit. Ecce veritatem externo quidem præcone, ſed vetuſtiſſimo & integerrimo tam ſonoram, ut eam poſt tot ſecula ab aliquo heri vel nudiùs tertiùs nato forenſi tintinnabulo controverti indignum, nec niſi impudentis ingenii indicium foret. Quid verò an tùm Gallia Arnolfo Francici honorem culminis litigioſum fecerit, quæ etiam obſequium Arnolfo non omnimodè detrectavit? Ita factum fuiſſe is idem dicat Anglus. *Cæteri quoq; Reges*, ait, FIDELITATEM ET OBEDIENTIAM EARNULPHO, SICUT DIGNUM ERAT PROMISERUNT. Et paulò poſt: *Quinque itaq; Reges confeſtim Carolo moriente ordinati ſunt, ſed* IMPERIUM PENES EARNULPH *manſit.* Imperii vox utique non Romanum hîc infert Imperium, quod nec ad mentem ſcriptoris facit, nec Arnolfo Regibus hîc tantùm annumerato, niſi ſexennio regiminis exacto obtigit. Quin imò ſi jam tum Arnolfum Imperatorem unà Francorumque Regem duxiſſet, quinarium regnorum Regumq; numerum perperam allegâſſet.

Non aliud itaq; imperium hoc loco voluit, quàm quod paulò antè dixerat, *principalem regni Francorum sedem*, hoc est, regnum Francorum genuinum & potestatem, quæ Arnolfo in cœteros Reges beneficiarios aut subjectos tributa sit. Certè qualis illa cunq; cœterorum Regum subjectio fuerit, quoad Galliam in eo Menevensi adstipulantur Annales Metenses, ad annum 888. *Gallorum populi*, ajunt, *in unum congregati*, *cum* CONSENSU ARNOLPHI *Odonem Ducem Regem super se statuunt.* Hoc totidem verbis & Regino tradit. Iisdem verò concinit Hermannus Contractus nostrâs. *Odo Arnolphum Franciam* (Lotharingiam intellige) *petentem*, inquit, HUMILITER adiens, benignè susceptus, PERMISSU EJUS *invasum tenuit regnum*. (l) Accedunt Annales Fuldenses anno 888. in hæc verba: *Quod Odo comperiens salubri usus consilio contestansque, se malle regnum suum cum* GRATIA REGIS (Arnolfi) *pacificè habere*, *quàm ullà jactantià contra* EJUS FIDELITATEM *superbire*, *veniensq;*, HUMILITER AD RE-

REGEM, GRATANTER *recipitur.* Witekindus pariter testatur: (m) *Huic* (Arnolfo) *Odo diadema & sceptrum, & cœtera regalia ornamenta obtulit, imperiumq; dominii sui* GRATIA IMPERATORIS *Arnolfi obtinuit.* Et Regino addit: *Odo Rex cum* MAGNIS MUNERIBUS *ad Arnolfum venit.* Idem verò Regino jam antè dixerat: *Carolus* (Simplex) *venit, & Arnolfum* MAGNIS MUNERIBUS *sibi conciliat, regnumque quod usurpaverat, ex* EJUS MANIBUS *percepit.* Et huic Galliæ in mentem venire potuerit, Germanis de genuino Francorum charactere litem movere, cujus Reges Eudo & Carolus Simplex, exteris pariter, nostratibusq; testantibus, Regem Franco-Germanorum certatim HUMILITER *adierunt,* MAGNIS MUNERIBUS *gratiam ejus captàrunt,* GRATANTER *recepti sunt, contestantes se contra* FIDELITATEM *ei* (Germaniæ Regi) *debitam non velle superbire, sed* REGNUM *& diadema ex ejus* GRATIA *&* MANIBUS *habere?* Quis cui judicii mica superest; sibi persuaserit,

tantùm arrogantiæ Galliæ ſumptum, ut præeminentiæ bellum illis indiceret, quorum ad nutum etiam Reges accipiebat? Quamquam verò iſta ſcopo noſtro abundè eſſe poſſint: Carolo tamen & Arnolfo, binis Germaniæ Regibus, tertertium addam, Ottonem Magnum. De hoc verò Witekindum audiamus: (n) *Cœteris quoq; filiis*, inquit, *prædia cum theſauris diſtribuens*, (de Henrico Aucupe ſermo eſt) *ipſum Ottonem, qui maximus & optimus fuit, fratribus, &* OMNI FRANCORUM IMPERIO *præfecit*. Ille etiam Otto diſertè ſe ſcripſit *Regem* FRANCORUM & *Longobardorum*. (o) Ille Pipinum Magni Caroli genitorem Francorum Regem, inter deceſſores numerat ſuos. (p) Ille regnum Germaniæ nuncupat regnum Francorum, quando tabulas donationum Sedi Apoſtolicæ factarum in hæc verba claudit: (q) *Has omnes ſupradictas provincias, urbes &c. pro remedio animæ noſtræ &c. & pro cuncto à DEO conſervato & conſervando* FRANCORUM *populo, jam dictæ Eccleſiæ tuæ &c. confirmamus &c.* Sed hæc

&cœ-

& cœtera omnia superat clarissima in omne ævum oratio Hildeberti Moguntinensis Archiepiscopi, quam Ottonis inaugurationi regali interposuit. (r) Nam cùm inter alia insignia ensem porrigeret, *accipe*, dixit, *gladium*, *quo ejicias omnes Christi adversarios*, *barbaros*, *&* *malos Christianos*, *autoritatę divinâ tibi traditâ omni potestate* TOTIUS REGNI FRANCORUM. Dum regnum FRANCORUM enuntiat, justissimâ nomenclaturâ quid fuerit regnum Germaniæ definit. Dum verò ait, TOTIUS, alibi quàm in Germaniâ frustrà quærendum fuisse verum Francorum regnum indicat. Quid porrò hoc monumento planius aut efficacius esse possit? Nec enim vox ista fuit, privati atq; umbratilis è scholastico pulvere doctoris, nec de forensi turbâ nugivenduli declamatoris, sed Germaniæ Galliæq; Primatis, sed in regno Franco-Germanico primi procerum, primique ministrorum, cui dandum crimini fuisset, si rempublicam in quâ versabatur, ævo præsertim, quod initæ regni tripartitæ divisioni, iterumq; Lotharin-

giæ cum Germaniâ coalitioni vicinum, ignorâsset. Sed nec clàm aut privatim, aut improviso loquentis impetu, sed totius animo ac velut ore populi, in actu sanctissimo, augustissimoque fuit effusa. Deniq; ne inter verba rem desiderares, is idem providit Otto, qui omni vitâ nihil antiquius habuit, quam jura regni Francorum, si qua invenisset interversa, sibi Germaniæq; suæ vindicare. Vocem penè per se ipsæ videntur edere, idque clamare res ejus gestæ. (s) Illo enim nomine pacatis in Germaniâ motibus, *Italiam quæ per plures jam annos Francis seu Germanis alienata fuerat, regno adjicere paravit.* Nec fefellit. Adjecta enim fuit ejectis tyrannis. Deinde, *in urbem progrediens à summo Pontifice, totoq; populo susceptus, applaudentibus cunctis, Imperatoris & Augusti nomen sortitur. Exhinc regnum Romanorum rursus ad* FRANCOS, *unde quodammodo elapsum fuerat, translatum est.* Non alio etiam titulo pridem antea regnum Burgundiæ quod nuper cum Arelatensi concreverat, in terris regni Franco-Germanici per in-

juriam

juriam exortum, Rege in fidem ac potestatem recepto, Germaniæ restituit. Id verò erat, quod Otto Frisingensis tam genere, quàm Episcopio Imperii Princeps, Augustorumq; sanguini immixtus, illustrissimus & in Republicâ suâ versatissimus scriptor ait: (t) *Sicut Merovingiis deficientibus & Carolis succedentibus regnum tamen mansit Francorum: sic & Carolis decedentibus ex aliâ familiâ seu linguâ* IN UNO TAMEN REGNO *Ottones subintroïere.* Nimirum in vero illo vetere Francorum, quod & Merovingii tenuerant, & Carolini. Ast Ottones Lotharingo-Germaniæ Reges erant. Hâc ipsâ igitur Germaniâ regnum Francorum & tùm constabat, & nunc adhuc constat. Sed manum abstraho. Jam enim mihi nimius fuisse videor in re apertâ; & copiâ, si exequi singula vellem, futurum esset, ut me simul lectoremq; obtuerem.

Hanc tamen veritatem civilis Philosophiæ scitis tam solidis, ipsâque naturali ratione tam perspectâ, exemplorum etiam fulcris, & maximorum principum rebus

gestis ac testimoniis irrefragabilibus stabilitam, fallor, aut non deerit, qui pro falso perinde veroq;, ex more seculi rhetoricari doctus, criminetur. Frustra id quidem, nec plus promoturus, quam rabidus canis lunam oblatrans. Anne enim illa nobis genuinæ scil. Franciæ symbola, quæ Gallis manserint, pertendat opponere, Ampullam sacram Rhemensem, Remigio ipsi cum Gregorio Turonensi, paulò minùs quàm synchrono, cœterisque proximè secutis scriptoribus ignoratam? an Auriflammulæ fabulam, post exactos demum Carolinos Reges natam? an Clypeum liliatum, cœleste, si Divis placet, donum, quod palàm nunc est, priscis omnibus Francis, cum liliorum insigniis nihil negotii habentibus ignotum, & lilia Gallica, Ludovici demum sexti inventum fuisse? An Parisiensem iterum sedem, autoritate Magni Caroli jam pridem loco motam? An Dionysianum Mausolæum, quod Merovingiis Carolinisq; Regibus sæpissimè neglectum? An Christianissimi præconium, quod nec Francicorum Regum, nec Carolinorum pro-

proprium unquam fuit? An Ecclesiasticam primogenituram, quam totam Germaniæ Regum esse, hâc ipsâ de regno Francorum dissertatione evictum dedimus? An proëdriæ jus, cujus hâc eâdem operâ Gallis omne fundamentum evertimus? Istius verò generis nugas aniles magnas, mercesq; malas meras, nobis venditare, si è Gallis quisquam sategerit: alibi quærat, cui centonem farciat.

Sed nominis fortasse Francici apud Germanos lituram, apud Gallos constantem vigentemq; usurpationem simplicioribus tantùm circumveniendis objicient? At parata diversitatis ratio est. Ut Franco-Germaniæ Reges augustius quid Cæsareo nomini, quàm regio inesse credebant, eòq; Imperatores dici quàm Reges malebant: ita & regnum ipsum suum Imperii nomine efferri, haud illibenter tulerunt. Ita paulatim usus inolevit. Galli è contrà, quibus summum gloriæ in eo positum erat, ut saltem nomine atq; origine Franci censerentur, cùm Francici prætereà nihil sibi reliquum novissent, nomen illud perquam sollicitè custodi-

endum duxere. Non ita Germani, qui insiti characteris, ejusdemq; inseparabilis securi, Francos se esse, quàm dici magnificentiùs credebant. Inde cùm quædam originis hujus oblivio vulgò obreperet, id cum gloriâ, quæ ab imperiali culmine veniebat, compensari fortasse poterat. Eadem oblivio invasisset & Gallos, si Carolo Calvo datum fuisset, imperatorium culmen ad posteros transmittere. Vix enim Imperatori per fœdas largitiones fraudesq; renuntiato, jam sordebat, Regem Francorum salutari, soloq; imperatorio titulo efferri, amplius augustiusq; visum est. Diplomate id docemur, quo Abbatiæ Hasnoniensi anno 877. prædia quædam confirmavit. Refertur id Auberto Miræo. (u) Nec aliam omninò fuisse causam, cur Germani Francico nomine apud se neglecto, Gallos eo se ferre passi sint, jam olim Otto Frisingensis & agnovit, & clarè testatus est (x) quando ait: *Ex hinc diviso regno* (Francorum) *regna modò duo, Orientale ac Occidentale inveniuntur, quorum alterum* (Orientale nimirum) *par-*

partem Ludovici ac Lotharii sedemq; regni Francorum, Palatium Aquisgrani, ac Imperium urbis Romæ habet, aliud verò Occidentale, quod adhuc Francorum, EO QUOD ISTUD ROMANORUM *vocatur, appellatur.* Clara vox est illustrissimi scriptoris, qui hoc textu præter redditam nominis diversitatem, & diversitatis rationem, regno Orientali Francorum præ regno Occidentali tria fuisse præcipua enarrat, *sedem regni Francorum*, hoc est, regnum genuinum, *Palatium Aquisgrani*, & *Imperium Romanum.* Extrinsecæ igitur denominationis incurii vivebant Germani, quòd rem apud se esse satis ducerent. Nec tamen defuere per singula secula, qui Germaniam Francorum esse regnum probè memores, identidem aliis id inculcatum voluere, cùm exteri, tùm nostrates. Gregorium Septimum Pontificem Maximum, nemo opinor hâc in causâ testem repudiabit. Is verò literis ad Germaniæ proceres datis, *se Domini Henrici* (quartus is noster fuit eo nomine Rex) *diligentiâ circumventum* ait, *ut nec in Ger-*

maniam progredi, nec tutò Romam regredi valeat; proinde monere eos, ut suis interim rebus & regno FRANCORUM *quaquà possint ratione moderentur.* (y) Huic ut ætate sic judicio circa regnum Germaniæ par fuit, sive Venericus Vercellensis, sive Waltramnus Naumburgensis Apologiæ autor, pro Henrico quem diximus, in lucem datæ. Ille enim nunc *Henrico in toto* FRANCORUM REGNO (Germaniam verò intelligit) *non esse regimini aptiorem* adversariis exprobrat; nunc incessit illos, *qui inhonoraverint Regem* FRANCORUM, *quique eundem Legis Christianæ contemptæ reum egissent.* Concinit autor Historiæ Trevirensis manuscriptæ, quæ hactenus inedita in Bibliothecâ Cæsareâ Viennensi conservatur. Is haud procul calce sic ait: *Et fortè eodem tempore Respublica* FRANCORUM *valde turbabatur. Nam paucos ante annos Henricô Imperatore hujus nominis quinto* (superioris Henrici filius is fuit) *sine prole defuncto, proceres* FRANCORUM apud Moguntiam *Leodegarium* (Lotharium) *Ducem Saxonum*

in

in Regem elevaverunt. Et fuit hic ſcriptor rebus coævus. Henricis iſtis priora non moveo. Poſſent enim præceſſorum ſinguli argumenta luculentiſſima ſuppeditare. Sed in ſeculum usq; duodecimum Francici nominis memoriam Germanis conſtanter retentam fuiſſe, hoc pacto jam liquet. Igitur quæ ſecuta ſunt tempora, huc tantùm faciunt. Fridericus Barbaroſſa Conrado Tertio interjecto, Lothario ſucceſſor fuit. At verò quot non locis Friſingenſis & Ligurinus Poëta, qui geſta ejus proſâ verſuq; poſteris transmiſere, rem Francorum Germanis aſſeruere? Piget ſingula referre. Tota Friderici ad Romanorum Legatos habita oratio perſtrepit, JURE FRANCORUM *eum veniſſe, repetitum urbem atq; Imperium.* Seculo decimo tertio milites Germani in præſidio urbis Neapolitanæ conſtituti, adhuc Franci diſertiſſimè dicti ſunt Petro de Vineis (z) tùm ipſi Friderico II. Cæſari. (aa) Decimum quartum, quintum & ſextum ſcriptores tulerunt, Ludolphum Babenbergſem, Petrum de Andlo, deinde Trithe-

mium, mox & Aventinum aliosq;, qui Germaniæ regnum ab Imperio Romano presse sumpto distinguentes, contra receptam in vulgus suorum temporum opinionem non vindicârunt modo, sed & partim verum ac genuinum in eo perstare Francorum regnum agnoverunt. Sed quid ista operosè disputem, cùm celebris Galliæ Advocatus Blondellus non modò in eo plurimus sit, ut esse apud nos regnum FRANCORUM ORIENTALE evincat: sed & perquam contentiosè cautum velit, ne quis fortè alienâ opinione transversùm inde ducatur.

Inter hæc non nisi insulsissimo cuiquam in buccam venerit dicere, *ex quo nullus Imperatorum gestis se suis aut verbis Francorum Regem ampliùs testatus sit, quatuor minimùm seculorum, aut quod excedit hinc silentio, inde Gallorum pro Francis se ingerentium industriâ, & nationum circumquaq; respondente sensu id effectum esse, ut velut juris gentium præscriptione, Galli in Francos transformati sint, nihil officiente privatorum scriptorum è Germanis laudatâ circumspectione, patriæ suæ* con-

consultum esse volentium, ut quæ publicâ opinione in contrarium faciente, elisa sit. Qualis quidem causatio si fortè à Gallis profecta fuerit: gratulabimur tandem aliquando frugi factis, jurisq; gentium aliquam præscriptionem in rem saltem suam agnoscentibus. Sed ut hoc jam non urgeamus, sed nec suppositum, quo nituntur, ipsum, quòd nullus Imperatorum se verbis gestisve Francorum Regem probaverit, falsum convincamus; neque etiam scrutemur, an requisita justæ præscriptionis ejusmodi usurpationi subsidio veniant: aliud tamen est, quod talia blatientem requisitum velim, numne cœteros hominum adeò nullius esse mentis ducat, qui persuaderi sibi sinant, posse etiam personas præscribi? Non, inquam, qui credant, posse liberum hominem in servitutem præscriptione deprimi, quod examinandum hîc non sumo. Verum an quisquam hominum quam à naturâ primitus sortitus est personam, sive hypostasin, quâ à cœteris hominibus ab usq; primâ sui in fœtum animatione distinctus fuit, eâ sic excidere pos-

ſit, ut ipſe velut non uſu, manente cœteroquin ejusdem animæ, ejusdemque corporis non interruptâ unione, in alium hominem, alius verò, qui pro ipſo ſe geſſerit, velut uſu contrario in ipſum tranſeat? hoc eſt, an Titius in Sejum, Sejus in Titium, per præſcriptionem transfundi queat, id quod Soſias ille Plautinus Amphitryoni ſuo metuebat, *ne fortaſſe uſu ſe perderet.* Putem verò ego hanc inſaniam, qui inſaniat, Anticyras protinus amandandum fore. Ecquid igitur aliud de eo ſtatuamus, qui perſonas populorum ac civitatum illas, quas diximus morales, & quarum cum perſonis phyſicis in hâc quæſtione congemina prorſus ratio eſt, non uſu ac præſcriptione à gente in gentem (niſi intimâ civili unione initá, quod alterius naturæ eſt) transferri poſſe pertendat? Poſſet talis inſania cuivis ſenſato cerebrum excutere. Nunquam enim ædepol ita nos alienabunt Galli, quin noſtri usq; ſimus. Pari autem lege damnabimus & illum, qui dato, quod dari nequit, Germaniæ regnum in perſonam

nam Romani Imperii introiisse, hoc ipso genuinam regni Francorum veri rationem à nobis ad Gallos transmigrâsse, per lepidissimam Metemphychosin fortè adstruxerit.

Piget itaq; tergiversationibus tam nihili refellendis, operam diutiùs perdere. Quamobrem hanc quæstionem de vero ac genuino Francorum regno, pro suâ dignitate, quin etiam pro publicâ necessitate semel in arenam atque discrimen vocandam & illustrandam manu emittimus. Pro quâ si cui in certamen nobiscum descendere volupe fuerit: nixi manifestâ veritatis causâ, neminem recusamus adversarium, qui rationibus è jure naturæ gentiumq; & verâ civili Philosophiâ, ac argumentis è genuino historiarum & antiquitatis fonte deductis, non inanibus logis & vaniloquentiis, adulteratisq; aut umbraticis testimoniis atq; exemplis, & fucis ac fabulis certandum sibi pernoverit. Id modò identidem repetitum volumus: concidisse ea omnia quorumcunq; Pradius, ut Capetinæ genti jura Merovingiorum, in illa, quæ olim

Francica fuere, assereret, vi regni, cui nunc præest ea gens, sibi spem fecisse videtur. Operta enim, quæ fuere, aperta sunt; patent præstigiæ. Alieni nominis Vejovem illum immanem, minacem, terribilem, quo Galli per fraudem atq; injuriam, quin imò per ludibrium etiam nostrum confidenter grassantes, penè omnium libertati graves & exitiosi imminuere, larvâ detractâ, detractis quoque Francici Leonis, quas vaferrimè sibi aptaverant, exuviis, anile terriculamentum vel pueris posthac, eo quidem nomine, deridendum proposuimus. Unà verò thesim quoq; Pradianam, quod hoc omni tractatu agendum sumpseramus, jam undique exarmavimus, ac tandem, quod confidimus, è fundamento eversam dedimus. Nunc igitur, quod in omni magnâ disceptatione condignum est, causæ pulcherrimæ gravissimæq; meritis, luci gentiumq; omnium cognitioni integerrimè expositis, orbem judicem iterum iterumque compellamus. Hæc patriæ studio, quà nostri officii erant, stylo executi sumus. Cœterùm quà no-
rist

ſtri ratio inſtituti non pertingit, ſi Gallis per vim apertam, quod fore non existimamus, fabulæ atq; calumniæ adhuc fortaſſe inſiſtentibus, manu quæquam gerenda venerint: illis ea curæ ſunto, quorum fidei ac fortitudini ſalus atq; honor Imperii noſtri, & quæ inde pendet libertas & incolumitas Europæ commendata eſt.

(a) *Regino in Annal. ad ann.* 842.

(b) *Theganus in vita Lud. Pii cap.* 21. *Ut omnia quæ Deus per patris ſui manus tradidit ei regna poſt obitum ſuum ſuſciperet. Et charta diviſionis Imperii Tom.* 1. *Capitular. Reg. Francorum. Nequaquam nobis nec his qui ſanum ſapiunt, viſum fuit, ut amore filiorum, aut gratiâ unitas Imperii à DEO nobis conſervati, diviſione humanâ ſcinderetur. Et paulò poſt: In quibus poſt deceſſum noſtrum* SUB SENIORI FRATRE *regali poteſtate potiantur.*

(c) *Nithardus Hiſt. lib.* 1. *Quamobrem pater ut æquiùs voluit, regnum absque Bajoaria cum ſuis diviſit.*

(d) *Nith. ibid. His paratis, & datâ ſibi*

optione, Mosæ Australem partem sibi tenendam delegit. Et lib. 4. *Jurant illi, quòd tunc fratres sui jure jurando, prout æquiùs possent, regnum omne absq; Longobardiâ, Bajoariâ & Aquitaniâ, in tribus partibus dividerent, essetque super his sua electio, ut quam vellet harum eligeret.*

(e) *Aim. in V. Lud. P. Et Lothario quidem coronam, ensem, vulgus, auro gemmisq; redimitum eo tenore habendum misit &c.*

(f) *Wippo in V. Conradi Salici. Aquisgranum ubi publicus thronus regalis ab antiquis Regibus, & à Carolo præcipuè locatus, totius regni archisolium habetur.*

(g) *De la Decadence de l'Empire Liv.* 1.

(h) *Adelm. ad ann.* 840 *Nith. l.* 2.

(i) *Nith. l.* 4.

(k) *Cap. de acidulis Schmechtanis.*

(l) *Ann.* 888.

(m) *Lib.* 1.

(n) *Gest. Saxon. lib.* 1. *in fin.*

(o) *Privil. Monast. Lauresham.*

(p) *Tabb. donationis insertæ à Baronio*

anno 962. verbis. Quæ piæ recordationis Domnus Pipinus & Domnus Carolus prædecessores videl. nostri &c.

(q) *Eædem Tabulæ.*

(r) *Witekindus lib. 2.*

(s) *Vid. de his & aliis Ottonem Frising. Chron. lib. 5. c. 11. 12. 16. 18. & 21. Et de Rebus gestis Frid. Barbarossæ.*

(t) *Chron. l. 6. c. 17.*

(u) *Donationum Piarum c. 22.*

(x) *Chron. lib. 6. c. 35.*


(y) *Lambertus Schaffnaburg in fin. Hist. suæ.*

(z) *Epist. lib. 6. c. 25.*

(a a) *Constit. Neapol. lib. 2. l. 23. & 32.*

FINIS.





INDEX.

A.

Ade-

Ame-

Arnol-

Auto-

B.

Bino-

C.

Caro-

D.

F.

G.

H.

I.

L.

M.

N.

O.

P.

Plectru-

R.

S.

T.

V.

W.

FINIS INDICIS.



ERRATA.

PAg. 54. lin. 22. imminutâ imminuive aptâ l. imminuta imminuive apta.

P. 101. lin. 20. ad libidines l. ob libidines.

P. 107. lin. 2. post *erepta* add. paravisset.

P. 111. lin. 8. natelium l. natalium.

P. 122. lin. 24. abnepos l. atnepos.

P. 130. lin. 6. potitæ l. potiti.

P. 132. lin. 11. Galliæ l. Gallia.

P. 145. lin. 20. hac l. hoc.

P. 159. lin. 6. Marco l. Marquardo.

P. 202. lin. 3. uxor l. uxorem.

P. 207. lin. 8. pro 983. l. 883.

P. 238. lin. 14. satagerim l. sategerim.

P. 266. lin. 8. patrè socero l. patre ac socero.

P. 320. lin. 20. allationi l. allectioni.





